

Handwritten scribble

J. q. 354, 5.



Lam. elbd. 00

De

[Faint, mostly illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]



Ep: Calixti expositio
litteralis in

o Acta Apostolorum.

Epist: ad Romanos

I — Corinthios. 1^a & 2^a.

Galatas

Ephesios

Philippenses.

Colossenses.

Thesalonicens priorum
& posteriorum.

Titum.

Augustinus et doctrina Christiana

Libr: 18. Eiusdemq de Fide

& Symbolo.

Vincenty Lerinensis de anti-
quitate & unitate Cath. fidei.

5
GEORGII CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN ACADEMIA
JVLIA PRIMARII PROF.

ABBATIS REGIO-LOTHAR.

IN EPISTOLAM

SANCTI APOSTOLI PAVLI AD

E P H E S I O S

EXPOSITIO LITTERALIS.

QVOMODO ILLA ANTE ANNOS XXX
QVVM PVBLICE PROPONERETVR
EXCIPI POTVIT.

NVNC PRIMVM EDITA.

HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO
Excudit HENNINGVS MVLLERVS,

ANNO MDCLIV.



IN EPISTOLAM
SANCTI APOSTOLI
PAULI AD EPHESIOS.

EXPOSITIO LITTERALIS.

PROOEMIUM.

Ephesus prope Castrum fluvium & mare Ica-
rium sita Ioniae, quae totius Asiae minoris me-
tropolis ab Androclo, Codri regis Athenien-
sium filio, primum condita fuit, ut memorat
Strabo lib. xiv. Variis antiquitus dicta fuit
nominibus, ut apud eundem & Plinium lib.
v. c. 29. videre est. Hodie Phienam appellari volunt. *Est empo-
rium Asiae, ait Strabo, eorum, quae sunt intra Taurum maximum. De
templo Dianae, quod in ea urbe vastissimum & celeberrimum
olim erat, ut inter miracula numeraretur, in hunc modum
Plinius lib. xxxvi. cap. 14. Magnificentia vera admiratio extat tem-
plum Ephesia Dianae ducentis viginti annis factum a tota Asia. In
solo palastri id fecere, ne terra motus sentiret aut hiatus timeret. Rur-
sus ne in lubrico atque instabili fundamenta tanta molis locarentur,
calcaris ea substravere carbonibus, deinde velleribus lanae. Universo
templo longitudo est ccccxxv pedum: latitudo ducentorum viginti:
columna centum viginti septem a singulis regibus facta, LX. pedum
altitudine. De simulacro autem Deae, quod Διοπέτης; sive caeli-
tus delapsum dicitur Act. xix, 35. idem Plinius lib. xvi. cap.
40. a Canecia artifice fabricatum & vitigineum fuisse scribit,
ac nunquam mutatum septies restituto templo. Sane Strabo
templum, de quo loquimur, aliquoties resuscitatum, & tan-
dem Alexandri aetate ad eam magnificentiam perductum, libro
supra citato memorat: neque enim de una continua exstructio-
ne Pli-*

PROOEMIUM IN

4

ne Plinianus ille annorum numerus, quem etiam posterius laudato loco ad cccc. extendit, accipi poterit. Dianam autem inibi cultam, Hieronymus proœm. comment. in hanc epistolam scribit, fuisse non venatricem, quæ arcum tenet, atque succincta est, sed illam multimammeam, quam Græcè πολύμασον nominant, ut scilicet, inquit, ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum & viventium esse nutricem. Hinc satis constat de urbis idololatria, unde honorifico, ut videri volebat, elogio audit magnæ Deæ Dianæ *νεωκόρε* sive æditua. Actor. xix, 35. De studio magicarum artium manifestum ex ejusdem cap. vers. 19. Reliquorum vitiorum, quippe in celebrioribus emporiis propter confluxum populi & opum abundantiam vitia solent esse frequentiora, luculentum indicium facit Strabo ex Heraclito, cujus hæc verba profert: *Digni sunt Ephesii, qui ad puerum usque strangulentur, qui Hermodorum, virum inter ipsos frugi ejecerunt, addito: Nemo nostrum frugi esto, aut alibi id esto & inter alios.* Docuit autem Paulus hac in urbe in synagoga Iudæorum per tres menses Actor. xix, 8. *In schola Tyranni cujusdam per biennium magno cum fructu, ut omnes qui habitabant in Asia cum Iudæi tum Græci audierint sermonem Domini IESU ib. vers. x. ipse ait, se per triennium non cessasse nocte & die cum lachrymis hortari unumquemque Actor xx, 31. inde abiit in Macedoniam & Græciam ac Hierosolymam profecturus, cum Miletum venisset, evocatis eò ex Epheso presbyteris, quid cum se tum ipsos maneat, exponit nempe se conjiciendum in vincula; ipsos autem à lupis ex suo ipsorum medio prodituris, infestatum iri. Ut igitur vigilant, ac animos ad semetipsos & totum gregem intendant, hortatur Actor. xx. postquam Hierosolymam venisset, sicuti prædixerat, captus est, & tandem cum Cæsarem appellasset, Romam advectus, ubi totum biennium mansit in proprio conducto, cum milite, qui ipsum custodiret, ut constat ex postremis Actor. capp.*

ARGV.

ARGUMENTVM EPISTOLÆ
AD EPHEŒIOS.

EX urbe igitur Roma, aut certè dum fuit captivus, ex custodia catenatus, ut ipse loquitur cap. ult. vers. 20. hanc epistolam ad Ephesios scripsit, quos ad Christum converterat & summopere diligebat, quæ, ut monet in præfat. comment. Anselmus, post illam ad Galatas rectè collocata est: quia ibi Galatæ revocantur ad fidem; hîc Ephesii confirmantur in fide. Nempe primo loco divinam gratiam commendat & prædicat, & de gratuito electionis decreto docet: constituisse Deum homines sibi inimicos reconciliare in Filio suo, sive per mortem Filij sui. Hujus beneficij non ex operibus, sed Dei dono per fidem, participes factas esse gentes & è cæteris ipsos quoque Ephesios, atque ut beneficij magnitudo appareat, revocat ijs in memoriam, quales non ita pridem fuerint, mortui in delictis & erroribus ac superstitionibus oppressi, è quibus jam per Evangelij prædicationem erepti & liberati sint. Evangelij autem ad gentes perferendi munus ac ministerium sibi peculiariter esse concreditum, ob quod etiam patiatur plurima adversa, quibus tamen commoveri aut frangi non debeant Ephesij, quo sine voto eos prosequitur & partem hanc priorem dogmaticam tribus prioribus capp. comprehensam concludit. Posterior parænetica est: reliqua enim tria capita præceptiones de moribus continent. Primum hortatur ad mutuam conjunctionem & unitatem, in quem etiam finem varia dona Ecclesiæ divinitus conferantur, deinde revocat ab immunda & carnali vita, vitiisque infidelium, additâ severâ denunciatione, & ad opposita opera Spiritus excitat. Tertio specialia præcepta secundum uniuscujusque statum & vocationis ac vitæ genus, de officijs uxorum, maritorum, liberorum, parentum, servorum, dominorum subjungit: Et postremo cum acris pugna fidelibus cum diabolo sit subeun-

A3

da,

da, eos quibus armis utendum docet, & panopliâ Spirituali instruit.

PRIMUM CAPVT.

v. 3. **P**Ræmissâ more suo salutatione & appreciatione gratiæ ac
 & pacis subiungit: * **BENEDICTVS** esto, honore scilicet,
 & gloriâ & laude dictâ ac tributâ, **DEVS ET PATER DO-**
MINI NOSTRI JESV CHRISTI (idem loquendi modus
 11. Cor. 1, 3. 1. Petr. 1, 3. sive verò divisim sive conjunctim acci-
 pias, nempe Deum nostrum & Patrem Christi, sive ipsius Chri-
 sti & Deum & Patrem intelligas, perinde fuerit. Nam etiam
 ipse Mariæ Magdalenæ, *adscendo*, ait, *ad patrem meum & patrem*
vestrum, & Deum meum & Deum vestrum. Ioh. xx, 17.) **QVI**
BENEDIXIT NOBIS OMNI BENEDICTIONE SPIRI-
TVALI, hoc est, cumulavit nos suis donis & beneficiis, non
 modò quæ ad præsentis vitæ usum spectent, sed omni genere
 spiritualis beneficentiæ quæ scilicet faciat ad animæ salutem &
 vitam immortalem. **IN COELESTIBVS** puta sedibus sive
 in coelis; quia fideles sumus *ut municipes cælorum nos gerimus.*
 Phil. III, 20. & jam ex parte sive animis nostris in coelis versa-
 mur. Ut itaque benedici in terris, est ijs donis, quæ præsen-
 tem vitam ejusque commoda concernant, affici ac cumulari;
 ita benedici in coelis est donari muneribus, quæ propria sint
 civium regni cœlestis, & ad vitam beatam in coelis transigen-
 dam faciant, nempe cognitione Dei & Christi, fide, spe & cha-
 ritate. Additur autem **IN CHRISTO**: fundamentum enim
 hujus benedictionis, quin ipsius nostræ electionis est Chri-
 stus. Nam ubi Deo placuit humani generis misereri, quia
 tamen justitiæ satisfieri oportebat, statuit Filium mittere,
 qui propitiatio fieret pro totius mundi peccatis, & propter
 ea subiungit: * **SICVT ELEGIT NOS IN IPSO**, respi-
 ciens scilicet ad meritum & satisfactionem Christi, à nobis fi-
 de apprehendendam, nos salutem destinavit **ANTE IACTVM**
FVN

v. 4.

FUNDAMENTVM MVNDI, sive ut est II. Tim. 1. 9. *ante tempora seculorum*, hoc est, ab æterno & in ipsa æternitate Ante conditum enim mundum, cum quo cœpit tempus, nil nisi æternitas, VT SIMVS SANCTI ET INCVLPATI, quantum quidem hujus in mortali vita per Dei ipsius gratiam & carnis nostræ infirmitatem fieri potest, IN CONSPECTV IPSIVS, hoc est, sincere sine fuce & simulatione, utpote qui sciamus in ipsius conspectu nos degere, & ab iplo ubivis locorum præsentissimo corda nostra introspecti. CVM CHARITATE, hoc est, ut sine maculâ & culpâ serviamus ipsi, non formidine poenæ, sed nostra sponte, liberaliter, & ex charitate, sive secundum canticum Zachariæ, *ut è manu nostrorum inimicorum liberari ipsum colamus cum sanctitate & justitia in conspectu ipsius cunctis vitæ nostræ diebus* Luc. 1, 24. Nempe quando Deus ab æterno statuit humani generis misereri & Filium mittere, adeoque in Filio fideles eligere, ideo hoc voluit, ut haberet gregem, sive quemadmodum infra cap. v, 27. *Ecclesiastiam à qua agnosceretur & coleretur, sine macula & ruga, sanctam & inculpata.* Et dedit Servator noster semetipsum pro nobis, *ut redimeret nos ab omni iniquitate & purificaret sibi ipsi populum peculiarem accensum studio bonorum operum* Tit. 11, 14. Hic autem non nisi finis aliquis intermedius est; at ultimus, respectu nostri, est nostra æterna salus, respectu DEI & absolutè ultimus est gloria ipsius, ut paulo post dicetur. Etsi vero Deus ab æterno nos elegit, ut in tempore simus sancti, non tamen hoc efficit, quò minus mediante præscientia sua in ipsa electione rationem habuerit eorum, qui mediis, quæ consequendæ sanctitati deputabat, obtemperaturi essent. Quanquam non loquitur hic de sanctitate, quæ sit ipsius fidei in se, sed de sanctitate, quæ consequatur fidem & in studio bonorum operum consistat. Frustra igitur hæc verba obiiciunt Calviniani, ut probent electionem factam esse absoluto decreto, in quo constituendo Deus per præscientiam suam, nec ad obsequium mediis

diis

diis & ordini ipsius præstandum, nec ad fidem verbo habendam respexerit. Res autem ita se habet, secundum propositum & consilium voluntatis suæ, quod mox prædicabit Apostolus, elegit præscitos obtemperare verbo ad fidem & gratiam Christianismi; præscitos vero credere ad gloriam & salutem: ut ita prioris & incompletæ electionis terminus sit fides; posterioris & completæ salus æterna. Quoniam autem terminum pro fine habere solemus & de eo tanquam de fine loqui, ideo de incompletâ illa, quam vocavimus, electione, verè dici posset: Elegit nos DEVS, ut crederemus. Quanto igitur magis, quæ ad ipsam fidem consequuntur, sanctitas scilicet hujus vitæ inchoata, & alterius consummata pro finibus haberi possint? Apostolum autem loqui de electione istâ priori sive incompletâ ad fidem & gratiam Christianismi, in quâ si usque ad finem perseveretur, certò obtinebitur salus æterna, manifestum est. Præterquam enim quod ipse de Ephesiorum finali perseverantia & proinde completa eorum ad gloriam electione certus esse non potuit, in hunc quoque modum subjungit:

v. 5. * QVI PRÆDESTINAVIT NOS *eis υιοθεσίαν* sive VT NOS ADOPTARET IN FILIOS. Si enim prædestinavit nos ad fidem, sive ut credamus, prædestinavit etiam nos ad sanctitatem vitæ, sicut superiori versu dixit. Hæc enim fidem certò & necessariò consequitur. Prædestinavit item ad *υιοθεσίαν*; *credentibus enim dedit jus, ut sint filij Dei* Ioh. I, 12. *Quòd si filij sumus, etiam heredes, heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* Rom. IIX, 17. atque prædestinatio ad hanc hæreditatem, completa demum prædestinatio. Quia vero adoptionis gratia amitti potest, & proinde fieri, ut qui aliquando adoptatus erat, ad hæreditatem tamen non perveniat, ideo ad completam electionem requiritur perseverantia, prout ab æterno eam sua omniscientia Deus præcognovit. Ad incompletam vero satis est præscitum fuisse hominem divinâ gratiâ præventum & excitatum, non repugnaturum esse Spiritui Sancto, neque neglecturum

media

media, per quæ fidem Deus conferre statuit. Sine intuitu vero meritorum Christi electio facta non est. Id igitur ut superiori vers. ita hic quoque inculcat, prætestinavit nos in adoptionem PER JESVM CHRISTVM, filium scil. suum præstituto tempore incarnandum, qui redemptor & mediator noster fieret IN SESE, hoc est, prout ipsi visum fuit. Extra se enim non quæsit consilium de modo & medijs liberandi & salvandi humanum genus, sed secum ipse, qui unus est in essentia & trinus in personis rationem iniit, & determinavit SECUNDVM BENEPLACITVM VOLVNTATIS SVÆ, nempe quantum electionem ad gloriam attinet, visum ei fuit & placuit, atque ideo, ut est inf. v. 9. & II. proposuit & statuit, ut participes fierent æternæ gloriæ & salutis per mediatorem partæ, quotquot ipsum verâ & non intermoriturâ fide essent amplexuri. Quantum verò attinet electionem ad fidem, adoptionem & sanctitatem Christianismi, consilium ejus fuit ei que placuit, ut fide donarentur, qui verbum non repellerent & Spiritui Sancto fidem operaturo non resisterent. Verbum verò prædicari voluit omnibus hominibus, cum alias, tum sub initium Ecclesiæ Novi Testamenti, neque cuiquam subtrahere nisi ob ingratitudinem & contumaciam. Hoc est beneplacitum, propositum, consilium voluntatis divinæ, secundum quod electio facta fuit *εὐδοκία ἔργημα ἃ αὐτῷ* v. 5. *εὐδοκία αὐτῷ ἦν* *περὶ ἡμῶν ἐν αὐτῷ* v. 9. *περὶ ἡμῶν* v. 11. *ἰδίᾳ περὶ ἡμῶν* II. Tim. 1. 9. Addit de ultimo fine: * AD LAVDEM GLORIOSÆ GRATIÆ

v. 6a

SVÆ, ut scil. gratiam & misericordiam suam coram angelis & hominibus illustrem & gloriosam redderet. Nempe tantam gratiam QVA NOS sine ullo nostro merito gratis GRATOS & acceptos HABVIT, sive dilexit IN ILLO DILECTO, hoc est, intuitu meritorum Filii sui. Nemo enim à Deo diligitur ea dilectione, qua in filium adoptetur, aut hæres regni coelestis destinetur, nisi in Christo & propter Christum.

B

* IN

- v.7. * IN QVO HABEMVS REDEMPTIONEM PER SANGVINEM IPSIVS tanquam pretium pro nobis redditum & persolutum 1. Cor. VI, 20. VII, 23. 1. Pet. I, 19. REMISSIONEM IN QVAM PECCATORVM SECVNDVM DIVITIAS sive in exhaustam copiam & abundantiam GRATIÆ SVÆ. Ita hic & in sequentibus semper ad fontes & principes nostræ salutis ac redemptionis causas nos deducit, misericordiam videlicet Dei & meritum Christi. * QVÆ EXVNDAVIT IN NOS OMNI SAPIENTIA ET INTELLIGENTIA. Hæc scil. ipsa Dei gratia, cujus beneficio ante conditum mundum electi sumus, decretum illud electionis ab æterno factum pari benignitate in tempore exequitur, ita videlicet ut sicut supra v. 3. dixit: *benedicat nobis omni benedictione spiritali* sive repleat & sufficienter nos instruat omni genere sapientiæ & intelligentiæ, quæ quidem nobis ad salutem sit necessaria. * PATEFACTO NOBIS MYSTERIO & arcano illo VOLVNTATIS SVÆ, quod nullo alias acumine mens humana investigare vel assequi potuisset, SECVNDVM BENEPLACITVM SVVM, QVOD PROPOSVIT IN SESE. Illud videlicet mysterium ita se habet sicut ipsi visum fuit & placuit, quemadmodum ad v. 4. uberius exposuimus. * v.10. NEMPE VT IN DISPOSITIONE PLENITVDINIS TEMPORVM, hoc est, ubi tempora, quæ ante Servatoris adventum ex divina ordinatione transigi oportebat, quæque divinâ providentiâ quasi dispensabantur, erogata & evoluta essent, atque adeo, ut jam ipsum divinitus præstitutum tempus præsto esset, ut tum summatim OMNIA RECOLLIGERET IN CHRISTO ET QVÆ IN COELIS ET QVÆ IN TERRA, hoc est, ut omnia beneficio Christi in concordiam redigeret, & angelos cœlestes hominibus mortalibus (nam quia in communem Creatorem & Deum homines peccaverant, propterea itidem angelos adversos & offensos habebant

bant) reconciliaret; vel ut omnia promissa oracula & vaticinia omnia, quæ in sacrificiis adumbrata fuerant, præterea, ut quæcunque in Patriarchis & Prophetis præclara, imo in ipsis coelestibus spiritibus illustria & gloriosa sunt, in uno Christo tanquam compendio quodam exhiberet; sive potius, ut in Christo tanquam capite uniret omnes fideles, velut membra unius corporis unique capiti subdita, cum eos, qui in cœlis jam ægerent, tum quotquot in terris aut modo viverent, aut usque ad consummationem orbis victuri essent. Nam qui antehac in cœlos recepti, quia virtute & merito Christi recepti fuerant (neque enim apud Patrem minus valuit Christus passurus quam passus) & in unum Christum speraverant, ubi reapse Christus exhibebatur, & spes eorum complebat: tum ipsi etiam Christo uniti, atque adeo cum reliquis fidelibus in unum corpus, cujus caput & Christus, collecti sunt. Hoc igitur est: *qua in cœlis & qua in terra, in Christo ἀνασφαλαγώσαοθαι* sive *sub uno capite in unum corpus redigi*, quod tamen perfectè post seculi finem & in altera demum vita fiet. Nam qui jam pridem diem suum obierunt, & in cœlis agunt, *non obtinuerunt promissionem*, hoc est, quicquid felicitatis piis promissum est, *quoniam Deus de nobis potius quiddam providerat, ne absque nobis consummarentur*. Heb. II, ult. Consummatio itaque beatitudinis eorum differtur, usque dum qui mortalem vitam etiamnum vivimus, iis aggregemur. Atque tum & qui modo in cœlis sunt, & qui hodie in terris vivunt, aut postea vivent, fideles omnes in unum numerum & quasi summam redacti, per consummatam animi corporisque beatitudinem à Christo donatam in Christo unientur, IN IP SO, inquam, Christo ad quem, utpote salutis nostræ fundum multoties nos revocat, * IN QVO ETIAM IN SORTEM ADSCITI SVMVS, sive sortem accepimus, hoc est, partem hæreditatis cœlestis. Respicit enim ad distributionem terræ promissæ, quæ



inter tribus Israëliticas sorte dividebatur juxta mandatum Domini. Num. xxvi, 55. xxxiii, 54. cujus executio facta. Jos. xv. & seqq. Hinc ipsa hæreditas sive portio hæreditatis fors dicitur Jud. i, 3. *Ascende mecum in sortem meam & ego vicissim ibo tecum in sortem tuam.* Quin hinc ulterius factâ allusione ipsa fidelium spiritualia bona sperataque hæreditas nomine fortis venit. Act. viii, 21. *Non est tibi pars neque fors in hoc negotio.* Act. xxvi, 18. *Vt gentes accipiant sortem inter sanctificatos per fidem.* item Col. i, 12. dicit Apostolus nos accipere *partem sortis sanctorum.* Porro cum portiones terrarum funiculis prius distingui; quam sorte distribui, soleant, atque hoc in terra quoque Chanaan factitatum fuerit, populus autem Israëliticus peculiaris Dei populus atque adeo hæreditas ejus Deut. ix, 29. i. Reg. x, i. & alibi sæpe audiatur, hinc dicitur funiculus hæreditatis Domini, Deut. xxxii, 9. Et Petrus i. epist. v. 3, membra Ecclesiæ *κλήρος* vocat. In Christo igitur nos & portio hæreditatis, quam Dominus propriam sibi esse voluit, censemur, & ipsi ad participandam hæreditatem sanctorum, quæ Deus, sive beata Dei fruitio est (ut ita & nos hæreditas Dei & Deus vicissim hæreditas nostra Psal. xvi, 15) admissi sumus. **PRÆDESTINATI SECVNDVM PROPOSITVM EJVS, QVI AGIT OMNIA** cum gubernationem universi, tum præcipuè salutem humanam concernentia, **JVXTA CONSILIVM VOLVNTATIS SVÆ**, quod denuo inculcat Apostolus & nobis ob oculos ponit, ne id, sicut Pharisei Luc. vii, 30. aspernari velimus. autem ipsius electionis ita quoque executionis finis ultimus est, * **VT NOS SIMVS LAVDI GLORIÆ IPSIVS**, sive ut per nos & propter nos redemptos & servatos gratia clementiæ divinæ ubiq; celebretur & deprædicetur, **QVI PRIORES SPERAVIMVS CHRISTO** de se enim & popularibus suis Judæis loquitur; *Salus enim ex Judæis est*, Joh. iv, 22. atque adeo primi qui in Christum crediderunt & in-

V. 12.

& inter hos Apſtoli Judæi fuerunt, quaſi dicat, nos quidem Judæi primi fuimus eorum, qui poſt adventum Chriſti in carnem, promulgatumque Evangelium crederent, & hinc occaſionem celebrandæ Dei gratiæ præberent, non tamen ut primi ita quoque ſoli, ſperavimus in Chriſto, * **IN QVO SPERASTIS ET VOS AVDITO SERMONE ILLO VERACE EVANGELIO SALVTIS VESTRÆ**, hoc eſt, qui vobis de ſalute lætum attulit nuncium & ſalutis obtinendæ fuit organon, **PER QVOD ETIAM POSTEAQVAM CREDIDISTIS**, ſive poſtquam ejus auditu fidem concepiftis, **OBSIGNATI ESTIS SPIRITV ILLO PROMISSIONIS**, hoc eſt, promiſſo à Prophetis Jer. xxxi, 33. Ezech. xxxvi, 27. & Servatore ipſo. Johan. vii, 38. xiv, 17. **SANCTO** & in vobis ſanctitatem efficiente. Nempe ſicut literæ, ne qua ſuſpicio falſi ſuboriat, ſigillo confirmantur, ita vos, *qui epiftola Chriſti eſtis* II. Cor. iii, 3. ut conſtet vos genuinam epiftolam ſive verè fideles, legitimumque Dei populum eſſe, ut ne quis hac de re animis veſtris metus obrepat, obſignati eſtis Spiritu vos ſanctificante, * **QVI EST ARRHABO HUREDITATIS NOSTRÆ**. Idem loquendi genus II. Cor. i, 22. atque ibi expoſitum fuit arrhabonem partē eſſe pretij, quod ſub initium contractus numeretur, ut fides fiat de reliqua ſumma perſolvenda. Ita cum Deus nobis pepigerit de largienda hæreditate æternâ, ut certi ſimus, quantum eſt ex ſua parte, pœnitentiâ ductum haud iri, neque ſententiam retractaturum, donavit nobis Spiritum Sanctum tanquam præludium, geſtum & partem anticipatam futuræ felicitatis **IN REDEMPTIONEM VINDICATIONIS**, ſive completæ aſſertionis, hoc eſt, Spiritus ille arrhabonis munere fungitur, uſque dum Deus in perfectam libertatem nos vindicet & liberali cauſa manu aſſerat: In hac enim vita liberatio tantummodo inchoata eſt, nempe ut dum carne circumdati ſumus, mente quidem ſerviamus legi Dei, carne vero legi pecca-

V. 13.

V. 14.



ti, atque adeo sæpe faciamus quod nolumus, contrà non faciamus quod volumus, quod de se conqueritur Apostolus Rom. VII. præterea calamitatibus, morbis & morti simus obnoxij; at in altera demum vita liberatio complebitur & consummabitur ut concupiscentiæ, miseriarum & mortis prorsus immunes adseramur *in libertatem gloria filiorum Dei* ut appellatur Rom. VIII, 21. Hujus liberationis arrhabo est Spiritus Sanctus, quo nobis dato testatum facit & se quasi obligat Deus, quod nos aliquando, tanquam in solidum suos, in quos nihil juris aut potestatis mors & peccatum habeant, sibi vindicare velit AD LAVDEM GLORIÆ IPSIVS. Hanc enim ut ultimum finem identidem proponit Apostolus, ut nos quoque, quantum in nobis esse queat, huic fini & amplificandæ Dei gloriæ studeamus & lucem nostram coram hominibus ita splendere faciamus, ut glorificetur Pater cœlestis Matth. v. 16. * PROPTEREA EGO AVDITA VESTRA IN DOMINVM JESVM FIDE, ubi scil. post meum à vobis discessum audiui prædicari & commendari vestram fidem, & quod in ijs, quæ à me de Christo didiceratis, constanter permaneretis, ET CHARITATE IN OMNES SANCTOS, quæ scil. veræ fidei individua comes, exercenda quidem erga omnes ad præcipuè erga sanctos, hoc est, *domesticos fidei*, Gal. VI, 10. * NON DESINO PRO VOBIS GRATIAS AGERE ET PRECARI (agendum enim Deo gratias pro beneficijs acceptis, & orandum, ut eadem nobis velit esse perpetua & augere, & si quæ alia necessaria sint largiri) * VT DEVS, qui non modo noster, verum etiam DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI quatenus hominis Deus est (fieri enim voluit homo & eundem atq; nos Deum habere, ut nos vicissim eundem, quem ipse patrem habemus) PATER ILLE plenus GLORIÆ ac majestatis, sive auctor omnis gloriæ, tum quæ in quibuscunque creaturis conspicitur, tum maxime quæ à fidelibus expectatur, DET VOBIS

v. 15.

v. 16.

v. 17.

VOBIS

VOBIS SPIRITVM SAPIENTIÆ ET REVELATIONIS, hoc est, dona Spiritus sancti concernentia solidam sapientiam & cognitionem revelationis sive mysteriorum ad salutem vestram facientium. Neque enim illis nova quædam revelare vult, sed ab illis quæ revelata erant intelligi PER AGNITIONEM IPSIVS scil. Christi: Hujus enim cognitio perfecta est, & vera sapientia, eoque rectè agnito cognoscitur etiam Pater Joh. xiv, 9. & quicquid ad salutem cognosci opus est. Sicut autem *Patrem nemo novit nisi Filius & cui Filius voluit revelare* Matth. xi, 27. ita quoque ad *Filium* sive cognitionem Filij, *nemo venit nisi fuerit ei à Patre datum* sive revelatum Joh. xiv, 6. * ILLUMINATIS OCVLIS MENTIS VESTRÆ, v. 18.
 VT SCIATIS QUÆ SIT SPES VOCATIONIS IPSIVS. Spem ponit ut Rom. viii, 24. *μετῶνυμινῶς* pro re sperata, hoc est, ut intelligatis & apud animum vestrum perpendatis, adeoque ex ipsorum dignitate æstimetis amplissima illa bona, quæ vos sperare jubet Deus ex vocatione, qua per Evangelium ad Christum vos vocavit. ET QUÆ OPES GLORIÆ HÆREDITATIS IN SANCTIS, hoc est, quam opulenta & gloriosa sit hereditas, quam ipse daturus est omnibus sanctis sive fidelibus suis. * ET QUÆ SIT SUPEREMINENS MAGNITUDO POTENTIÆ IPSIVS IN NOBIS, QUI CREDIMVS, v. 19. hoc est, quam sublimem & magnam potentiam in nobis exercuerit & declaraverit & porro declaraturus sit. Declaravit, dum ad filium traxit Joh. vi, 44. & ex infidelibus fideles, ex impijs pios effecit. Declarabit autem, quando ex mortalibus faciet immortales & gloriosos 1. Cor. xv, 43, 53. atque hoc faciet SECUNDVM EFFICACIAM ROBORIS VIRIVM IPSIVS, sive per vim potentiæ infinitæ & divinæ. * QVAM v. 20.
 EXERVIT, sive cujus specimen exhibuit, ne quicquam fieri posse desperemus, IN CHRISTO CVM SVSCITAVIT EX MORTVIS Nempe cupit Apostolus fideles intelligere, quanta

quanta bona ipsos mancant, & quam potenter in ijs glorifi-
 cendis Deus operari & possit & velit, atque hujus rei docu-
 mentum exhibitum esse in Christo, cui suo modo ipsos con-
 formari oporteat Rom. viii, 29, Phil. iii, 22. resuscitatione &
 exaltatione sive glorificatione, quam hac occasione uberius
 aliquanto exponit, *Suscitavit, inquit, eum ex mortuis* ET COL-
 LOCAVIT AD DEXTRAM SVAM IN COELIS, ut ex
 i. Cor. xv, 25. colligitur, fecit eum secum regnare, sive poten-
 tiæ gloriæ & majestatis suæ participem reddit: & hæc quidem
 exaltatio propriè ei convenit quatenus personaliter unitam
 habet humanitatem, cujus ratione verè exaltari tantum po-
 tuit. Huic enim in ipsa incarnatione, ratione unionis hyposta-
 ticæ, pridem collata excellentia & gloria, quin potestas & do-
 minium super omnes creaturas; Per ingressum autem in cœ-
 los cœpit potestatem illam exercere, sive actu imperare & do-
 minari ac eâdem illa extremo die judicabit vivos & mortuos.
 Quoniam igitur collocari ad dextram Dei idem est quod hu-
 manitatem Christi evehi ad actuale imperium, regnum sive
 dominium, hoc ipsum quale sit explicat & subjungit: *Colloca-
 vit eum ad dextram suam*: hoc est, ita ut diximus, fecit eum se-
 cum imperare & regnare. * LONGE SVPRA OMNE IM-
 PERIVM AC POTESTATEM ET DOMINATIONEM,
 hoc est, imperium Christi sublimius est & multò excelsius o-
 mni imperio, quod creaturæ quæcunque habeant vel exerce-
 ant, quin ipsis imperijs illud imperium imperat & dominatur,
 ET SVPRA OMNE NOMEN, QVOD NOMINATVR,
 hoc est, supra omnem excellentiam & celebritatem, quæcun-
 que ea tandem sit, sicut vir magni nominis est vir magnæ ce-
 lebritatis, *dedit ei nomen super omne nomen* Phil. ii, 9. sive sim-
 pliciter supra omne quicquid est aut existit, nominatur vel no-
 men habet, & addit: NON SOLVM IN HOC SECVLO,
 VERVM ETIAM IN FVTVRO, ut intelligatur ea Christi
 gloria

v, 21,

gloria & dominatio esse æterna, nec hoc tantum seculo conti-
neri, sed duratura in omne ævum. * ET OMNIA visibilia & V. 22.
invisibilia SVBIECIT EJVS PEDIBVS, ubi tamen excipi ne-
cesse est eum, qui subjecit ei omnia, ut declaratur, 1. Cor. xv,
27. IPSVMQVE DEDIT sive constituit CAPVT SVPER
OMNIA, ut omnium gubernandorum plenam habeat pote-
statem, IPSI ECCLESIAE, * QVÆ EST CORPVS IPSIVS, V. 23.
ab ipso scil. regitur & non modo regitur, verum etiam anima-
tur & vivificatur, sive sensum & motum spiritualem accipit. *Ne
audita capit is dictione*, ait Chrysostronus in hunc locum, *solum
principatum intelligas, sed & confirmationem & stabilitatem, non
tanquam principatum solum, sed ut corporis caput.* Nam ut loqui-
tur Theophylactus in iv. cap. hujus epist. *Quemadmodum spiri-
tus in corpore, qui è cerebro per nervos descendit dat omnibus mem-
bris sensum unicuique secundum proportionem sic & Christus in ani-
mas nostras, quæ sunt membra ipsius facit suppeditationem charis-
matum suorum.* Hac itaque duplici ratione Christus caput ec-
clesiæ, & ipsa vicissim Christi corpus & τὸ πλῆρωμα comple-
mentum ejus. Tantus videlicet est amor & affectus Christi in
ecclesiam, ut licet in se perfectissimus & plenissimus sit, man-
cum tamen & mutilum se arbitretur, quasi caput sine membris,
nisi habeat illam instar corporis sibi adjunctam. Ne autem per
se sine ratione propriæ perfectionis hoc complemento indi-
gere existimeretur, propterea additur, QVI OMNIA IMPLET
IN OMNIBVS; ut intelligamus ipsum nihil à quoquam acci-
pere, sed ab ipso omnia præberi & accipi, adeoque ipsum esse
caput ecclesiæ, ut modo diximus, non tantum dominans, sed
& animans, vivificans, sive motum & sensum spiritualem, sive
omnia fidelibus & ecclesiæ propria dona suppeditans.

SECUNDVM CAPVT.

HÆtenus exposuit Apostolus, quam excellenter se exer-
uerit efficacia roboris divinæ potentiæ in resuscitatione
& glo-
C

& glórficatione Christi: Subjungit quam potenter, quin elementer eadem operata sit in conuersione Ephesiorum aliorumque gentilium, atque adeo ipsorum quoque Judæorum. * ET VOS, inquit, subintellige: VNA VIVIFICAVIT cum Christo *συνζωοποίησε τῷ Χριστῷ*: quæ verba propter copiam rerum & incertas ex plenitudine Spiritus sententias per longum hyperbaton diuisa, ex v. 5. peti, & cum verbis; *καὶ ὑμᾶς*, componi debent. CVM ESSETIS MORTVI DELICTIS ET PECCATIS, accipiatur in casu Latinorum sexto, ut sensus sit: Cum essetis dediti peccatis, iisque seruiretis; hoc enim mors animæ est, & stipendium ejus non solum est mors prima, verum etiam quæ mors secunda dicitur Apoc. II. II. xx, 6. 14. XXI, 8. Mori autem peccato in casu tertio, contrariâ prorsus sententia dicitur, qui peccatum regnare non permittunt Rom. VI, 2. II. * IN QVIBVS sc. delictis & peccatis ALIQVANDO AMBVLASTIS, siue data opera versati estis, JVXTA SECVLVM MVNDI HVJVS, hoc est, juxta morem vivendi hominibus mundo ejusque vanitati deditis receptum. Haud male Syrus: Juxta mundanitatem vel mundanam vanitatem mundi hujus SECVDVM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS, hoc est, pro arbitrio dæmonis, qui postquam cælo est ejectus, in aëre commorari & potestatem suam exercere, fœdasque tempestates, ubi permissum est, excitare gaudet. *Principem, inquam, cui potestas est aëris τὸ πνεῦμα*. SPIRITVS afflatus siue impulsus, qui scil. princeps & auctor immittit illum spiritum, QVI NVNC OPERATVR IN FILIIS CONTVMACIÆ, hoc est, hominibus contumacibus & Evangelio fidem habere detrectantibus. * INTER QVOS ET NOS OMNES, ne ab hac parte Judæos ante conuersionem meliore conditione fuisse existimetis, OLIM CONVERSATI SVMVS IN CVPIDITATIBVS CARNIS NOSTRÆ & illorum similes nos exhibuimus. FACIENTES DESIDERIA CARNIS ET
COGI.

v. 2.

v. 3.

COGITATIONVM, hoc est, strenuè exequentes, quæ vel sug-
gererat concupiscentiæ effrenis appetitus, vel proponebant
vel persuadebant cogitationes & discursus mentis à veritate
ob ignorantiam & cœcitatē suam aberrantis. Ipse enim Pau-
lus etsi in Iudaismo crassis delictis se minimè contaminaret, &
quoad justitiam, quæ est in lege irreprehensus esset Phil. III, 6.
ex errore tamen & cæcitate mentis Ecclesiam DEI acerrimo o-
dio persequeretur I. Tim. I, 13. ERAMVSQVE NATVRA FI-
LII IRÆ, hoc est, devoti & obnoxij iræ divinæ poenisque,
quascunque Deus iratus in majestatem suam peccantibus, se-
cundum æternæ justitiæ rigorem, infligit (ita filij mortis, qui
rei mortis & digni morte vel supplicio I. Sam. XX, 31. XXVI, 16.
II. Sam. XII, 5.) VT ETIAM COETERI mortales & populi
profani. Dicit naturâ filios iræ, non quod ratio sive causa, ob
quam iræ sumus obnoxij, vel principium sit naturam consti-
tuens, vel affectio ex principijs naturam constituentibus orta:
ita enim in Deum auctorem naturæ redundaret; sed quòd ta-
les nascamur, sive ab ipso conceptu & origine nostra tales simus
propter peccatum, in quo & cum quo, à parentibus ad nos de-
rivato, concipimur & nascimur. Quod itaque naturam ante
conversionem, sine Dei gratia sibi relictam, attinet, Judæos
gentibus adæquat. * SED DEVS, utpote QVI DIVES EST
& inexhaustus MISERICORDIA, cum actū esset de omnium
hominum salute, PROPTER MVLTAM CHARITATEM
SVAM QVA DILEXIT NOS: *φιλαθρωπία* enim Dei restitu-
tionis & salutis humanæ princeps causa est. * ETIAM nos
(quos enim antea naturæ vitio gentibus æquarat, hos nunc iis-
dem in beneficio gratiæ conjungit) CVM IN DELICTIS
MORTVI ESSEMVS, CONVIVIFICAVIT CHRISTO, hoc
est, ad similitudinem Christi. Superiore enim cap. egerat de
Christi resurrectione, cui nunc nostram renovationem, tan-
quam quæ ad ejus imitationem fiat, subjungit: *Sicut enim susci-*

V. 4.

V. 5.

tatus est Christus ex mortuis, ita & nos in novitate vite ambule-
mus Rom. VI, 4. Si surrexerimus cum Christo, superna queramus,
ubi Christus est ad dextram Dei sedens Col. III, 1. CVJVS GRA-
TIA SERVATI ESTIS: Hæc à nonnullis parenthesi inclu-
 duntur, quæ sanè dura fuerit & præter morem. Malim itaque
 cum vetere interprete ex Hebræorum idiotismo replere relati-
 vum **וְשָׂנָה**, qui, quæ, quod, cujus ellipseos exempla Jac. v, 6. 1.
 Pet. IV, 14. 1. Joh. III, 12. *Deus itaque misericors ex mera miseri-*
cordia nos unà vivificavit cum Christo cujus gratia servati estis.
v. 6. * VNAQVE SVSCITAVIT, nempe ut ad similitudinem
 Christi nos vivificavit, ita quoque suscitavit à morte scil. quâ
 in peccatis mortui eramus, ad novam vitam peragendam in
 sanctitate & justitia. **VNAQVE COLLOCAVIT IN COELESTI-**
bus sive in **COELIS**, dum ea nobis dedit dona, quæ civibus
 cœlorum propria sunt, ut diximus ad cap. 1, 3. sive collocavit
 nos in cœlis per affectum & spem, quâ coelestem beatitudinem
 jam occupavimus, ut proverbio vulgari nobis dicere liceat:
 Quod etsi in terris vivimus, alterum tamen pedem in coelo
 habeamus. **IN CHRISTO JESU** sive propter meritum Chri-
 sti. Nonnulli Chrysost. secuti aliter exponunt, scilicet vivifica-
 tos, resuscitados & in cœlis collocatos nos esse in capite Chri-
 sto, cujus nos corpus sumus & membra. *Capite sedente in cœlis,*
ait ille, simul & corpus sedet. Nempe quia carnem nostram in
 suo corpore non simpliciter, ut ejusdem nobiscum speciei
 (nam hac ratione impij quoque cum Christo in cœlis sede-
 rent) sed ut corpore, cujus nos per fidem membra simul, in cœ-
 lis invexerit; ideo nos quoque una cum ipso in cœlis sedere.
 Sed hæc interpretatio etiam si pia & elegans, haut tamen con-
 venit proposito Apostoli, qui, ut manifestum est, loquitur de
 suscitatione è morte peccatorum, quæ fiat ad similitudinem
 suscitationis Christi è morte corporis. Subjungit eundem fi-
v. 7. nem, quem proposuit sup. cap. v. 6, 12, 14. * VT OSTENDE-
RET

RET IN SECVLIS SVPER VENIENTIBVS: hoc est, ut ijs qui ab initio Ecclesiæ Novi Testamenti usque ad finem mundi per subsecuturas ætates futuri essent, fidelibus declaret SVM-
 MAS illas GRATIÆ SVÆ OPES, quas scil. opes manifestaf-
 set & palam fecisset IN BENIGNITATE ERGA NOS, sive
 dum benignitatem erga nos exercuit IN CHRISTO JESV,
 ita scil. ut intuitu meritorum Christi eam exerceret. Et meri-
 to quidem divitias gratiæ suæ, quas intuitu meritorum Christi
 in nostra conversione effudit, vult in notescere, & palam fieri.
 * GRATIA ENIM SERVATI ESTIS PER FIDEM in Chri-
 stum (ET HOC NON est EX VOBIS, neque scilicet ex vo-
 bis est, quod credideritis, neque quod per fidem servati estis;
 DEI DONVM EST: ipsa scil. fides, ex auditu verbi per Sancti
 Spiritus efficaciam excitata, non est opus nostrarū virium, sed
 gratuitum Dei munus; & quod hæc ipsa fides servet, non est
 meritum fidei, sed gratuita Dei ordinatio,) *! NON EX OPE-
 RIBVS, opponit hic & in epistola ad Rom. & Gal. gratiam ac
 fidem operibus. Fides nititur gratiã sive gratuitis promissio-
 nibus, adeoque *fide servari* idem est, quod ex gratia sive gratis
 servari. At ex operibus oritur debitum: *Etenim, qui operatur
 merces non imputatur ex gratia, sed est ex debito Rom. iv. 4. Gra-
 tia igitur, inquit, & per fidem estis servati, sc. vi promissionum di-
 vinarum & meritorum Christi fide apprehensorum, non autem
 ex operibus, NE QVIS GLORIETVR, sive propter opera
 ac merita sua sibi aliquid à Deo deberi jactitaret. Nam si Abra-
 ham ex operibus justificatus fuit, habet quod gloriatur at non apud
 Deum Rom. iv, 2. * NAM IPSIVS Dei SVMVS OPVS, qua-
 tenus scil. renati ac renovati sumus nova sumus Dei creatura,
 ut dictum Gal. vi, 15. CONDITI IN CHRISTO JESV. Semel
 quidem in Adamo conditi sumus: sed quia amisimus, quicquid
 in Adamo excellentiæ ad æternam salutem facientis per pri-
 mam creationem acceperamus, & defleximus ad vitam seculi
 hujus*

V. 8.

V. 9.

V. 10.

hujus juxta placita dæmonum; ideo denuo condimur in altero Adamo, Christo, AD OPERA BONA, ut ita hæc in nostris viribus non esse, sicut nemo suis viribus creatur, neque justificandum præcedere; sed justificatum sequi intelligamus. QVÆ opera bona PRÆPARAVIT DEVS, VT IN EIS AMBULEMVS, sive sedulam eis operam demus: nempe præparavit ea, dum *elegit nos ante jacta fundamenta mundi, ut essemus sancti & inculpati in charitate*, sicut dictum est sup. cap. v. 4. Præparavit quoque ea, dum nobis ad ea Spiritus sui ductu & instinctu præiit, intellectum nostrum illuminavit, ut quæ bona sint noverimus, & voluntatem excitavit, ut eadem velimus. Etsi igitur bona opera ad consequendam salutem nihil faciunt, neque facere possunt, ut divinæ gratiæ integra sua stet gloria; ad vitam tamen eâ, quæ fidelibus convenit, ratione transigendam plurimum faciunt, ut haut incommode dixeris: solam fidem ad justitiam facere & sufficere, sed solam (quam nec sola unquam est) non facere aut sufficere ad vitam Christianam. Christiani enim in bonis operibus & exercitijs charitatis ambulare debent. Ita quidem gentiles & Judæos utrosque, cum quoad connatam pravitatem ante conversionem, tum quoad gratiam in conversione adæquavit. Ut autem gentes & inter has Ephesii quò longiùs abfuerant, eò plura se Dei gratiæ debere agnoscant, ea propter de misero ipsorum ante conversionem statu aliquanto disertius agens, inæqualitatem aliquam ostendit, ipsosque Judæis, in multis rebus inferiores esse innuit. * PROPTEREA, inquit; MEMENTOTE VOS QVONDAM GENTES IN CARNE sive ante conversionem, QVI DICEBAMINI PRÆPUTIVM AB EA, QVÆ VOCATUR sive erat (vocari enim pro esse, & nomen rei pro re ipsa apud Hebræos ponuntur) CIRCVMCISIO IN CARNE. Ut ut scil. ea etiam ipsa in peccatorum luto hæreret & gratiæ particeps facta non esset, vobis tamen opprobrij loco præ-

V. II.

co præ-

eo præputium objiciebat. Circumcisio, inquam, non nisi MANU circumcidentis FACTA, non autem facta à Spiritu Sancto ipsos animos circumcidente & impuros affectus amputante, quæ dicitur *circumcisio cordis* Rom. II, 29. Et *circumcisio Christi* non facta manibus Coll. II, 11. *Omnis domus Israël præputiata corde* it Jer. IX, 26. Et Stephanus *incircumcisos corde & auribus* vocat Act. VII, 51. Præputium autem per Metonym. ponitur pro præputiatis, & circumcisio pro circumcisis, uti etiam Rom. II, 26. III, 30. XV, 8. Gal. II, 8. Sensus igitur est: Recordamini vos quondam gentiles carni servientes, qui per contemptum & opprobrium præputiati (Judæos enim præputium ut ignominiam gentibus objecisse constat ex I. Sam. XVII, 30.) vocitabamini à Judæis, carnalibus quidem etiam ipsis internæque & potissimæ circumcisionis expertibus, gloriantibus tamen in externâ illâ & manufactâ, quippe quæ foederis divini eo tempore signum & tessera esset, cujus symboli, quod foederi annexum erat, cum ne quidem vos participes essetis, quam procul ab ipso foedere semoti, & quòd cum hoc ipso tum Scripturâ divinæ voluntatis indice, destituti, multò deteriore præ Judæis conditione fueritis, facile intelligitis. Recordamini inquam * VOS ILLO TEMPORE FUISSE ABSQUE

V. 12.

CHRISTO, hoc est, sine agnitione & fide Christi non modò præsentis, ut plerique Judæi, verum etiam venturi, vel penitus nullam Messiaë, qui in redemptionem humani generis vel venisset vel venturus esset, cognitionem habuisse. ALIENATOS A REPUBLICA ISRAELIS, non modò ejus, quem vocat *Israëlem Dei* Gal. VI, 16. sive à communione verè credentium & fidelium, sed etiam Israël externi, sive populi Israëlitici, quem à reliquis segregatum sibi Deus peculiarem esse voluerat, eique voluntatem, statuta & judicia sua revelarat Psal. CXLVII, 19. 20. ut in horum cognitionem venire non posset, qui ab externa & civili Israël Republica prorsus esset alienus.

Cum

Cum externa igitur Israëlis Rep. participare ante Christi in carnem adventum, magnum, imò necessarium erat adminiculum ad consequendum jus civitatis in Rep. Israëlis DEI sive fidelium. EXTRANEOS A FOEDERIBVS PROMISSIONIS & non modò non participes bonorum in foedere promissorum, sed ne quidem conscios foederum: quippe quæ licet primo ad Adamum, deinde Noachum, alterum humani generis parentem promulgarentur (quamvis enim foedus de recipiendis in gratiam post lapsum mortalibus unicum sit, propter ejus tamen repetitiones sive iteratas promulgationes numero multitudinis utitur Apostolus) licet, inquam, prioris generis promulgationes eo, quem diximus modo ad omnes mortales absque aliquo discrimine in communibus eorum parentibus factæ fuerint, postea tamen Abrahamo, solisque ejus posteris gratia illa obtigit: cum paulatim aliæ gentes Chami & Iapheti propagines à doctrina & communione Patriarcharum se abalienassent atque ad idolorum cultum deficientes à foedere semetipsos extraneos reddidissent, SPEM NON HABENTES. Sequitur hoc ex priore: Nam si extranei fuere à foedere promissionis, neque potuerunt spem habere bonorum in foedere promissorum, Christi videlicet venturi, & quam Christus nobis promeriturus erat, beatitudinis æternæ. Hinc alibi Apostolus vocat *spem promissionis, quæ suis facta fuisset patribus* Act. xxvi. Et *spem Israëlis* Act. xxix, 20. & *Israelitarum* dicit esse *fœdera & cultum & promissiones* Rom. ix, 4. ET ABSQUE DEO IN MVNDO hoc tanquam omnium miseriarum compendium ultimo loco subjungit, & sequitur ex superioribus. Nam si absque Christo, absque cognitione foederis, absque spe fuerunt, fuerunt etiam absque DEO, hoc est, absque cognitione DEI ad salutem sufficiente, & absque legitimo DEI cultu, ut exposuimus ad vers. 8. cap. iv. ad Gal. Neque enim nisi cognito Christo, & divinâ voluntate de nobis per

per

per Christum salvandis Deus, vel quod ad salutem satis sit cognosci, vel legitimè coli potest. * AT VNVM IN JESV CHRISTO, exhibito scilicet in carne, passio, mortuo atque inter vos à nobis prædicato & à vobis credito, VOS QVI OLIM PROCVL ERATIS, & quidem, ut jam exponebamus longiùs à foedere & salute aberatis quàm Judæi, PROPE FACTI ESTIS PER SANGVINEM CHRISTI, reapse scilicet effusum. Usque quo enim Servator mortem subiret, & ex morte resurgens ac in cœlum adscensurus Apostolos in orbem terrarum proficisci & omnibus mortalibus Evangelium annunciare juberet, ad hoc usque tempus, inquam, *præteritis ætatibus omnes gentes suis ipsarum viis Deus incedere permisit Act. xiv, 16. Et tempora ignorantia connivendo dissimulavit, nunc autem mandare cœpit omnibus ut resipiscerent, Act. xvii, 30. Cum paulo ante non nisi Jacobo verba sua indicaret, statuta & jura sua Israël Ps. cXLVII, 19.* * IPSE ENIM EST PAX NOSTRA, constituens scilicet pacem & abolens dissidia inter Judæos ac gentiles (de pace autem inter Deum & homines per ipsum factâ paulo post loquetur) QVI VTRAQVE, utrumque puta populum, FECIT VNVM, in unum corpus & ædificium redegit, ET INTERIACENTIS PARIETIS SEPTVM SOLVIT, hoc est, causam, quæ Judæos & reliquas gentes ab invicem se-
 jungebat & abalienabat, circumcisionem videlicet & ceremonias sustulit. Quod autem septum intelligat, exponit ipse, dum per appositionem subjungit. * INIMICITIAS PER CARNEM SVAM, per suam scilicet in carnem adventum & mortem, quam in carne subiit, discriminis odiorum & dissidiorum causam abolevit. LEGEM PRÆCEPTORVM *ἢ δόγμασι* IN RITIBVS & ceremonijs positam ABRORGANS, nempe cùm morte suâ Christus typos Veteris Testamenti omnes explevisset, & Novum Testamentum in sanguine suo consecrasset, cessare fecit cum ceremonias, tum ipsam

V. 13.

V. 14.

V. 15.

D

circum-



circumcisionem Veteri Testamento, quippe in umbris occupato, proprias: ita quidem ut cum hujus tum illarum necessitas & obligatio mox sub initium expiraret; usus autem universus paulatim antiquaretur & extingueretur. Hæc vero lex præceptorum, in circumcisione & ritibus posita, erat quasi mæteria quædam Judæos & gentes non modo dirimens, verum etiam multis odijs dissidijsque materiam præbens. Judæi enim in circumcisione & ceremonijs adeo sibi placebant, ut earum expertes abominarentur. Contra gentes ob circumcisionem (quâ tamen præter Judæos, sed à Judæis citra controversiam acceptâ, usi leguntur Ægyptij, Æthiopes & Colchi apud Herodot. in Euterpe) Judæos subsannabant, & per ludibrium ψωλῆς verpos, recutitos, & apellas vocitabant; à reliquis quin etiam observationibus ut superstitionis abhorrebant: atque hinc satyrico sale eos defricuit Juvenalis satyra 14.

*Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cæli numen adorant,
Nec distare putant humanâ carne suillam,
Qua pater abstinuit: mox & præputia ponunt:
Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt, & servant ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses:
Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.*

Legem itaque circumcisionis & ceremoniarum, quæ huc usque tanquam septum gentes & Judæos diremerat, suo in carnem adventu & morte Christus solvit, VT DVOS illos hætenus dissidentes populos CONDERET & redigeret IN SEMET IPSO, qui scilicet esset unionis & concordie fundamentum & corporis caput, IN VNVM NOVUM HOMINEM, sive unum corpus & unam Ecclesiam, unumque populum Christianum ambulantiem in novitate vitæ. Nempe
non

non erit necesse in posterum, ut Græci, priusquam in communionem Ecclesiæ admittantur, Judæi fiant & præputia ponant, à qua re illi summopere abhorrebant; sed manebunt Græci & nihilominus in Ecclesiam recipientur, modo ut fideles è Judæis, ita quoque ipsi in Christum credant. Loco igitur septi dissoluti semetipsum substituit, & sicut illud alterum ab altero disjunxerat, ita ipse per sese & per suam agnitionem & fidem utrumque conjungat & sibi suoque corpori, quod est Ecclesia, inserat, FACIENS PACEM, non modo inter populos Judaicum & gentilem, antiquatâ lege rituum, verum etiam, persolutâ pro peccatis justitiæ divinæ satisfactione, inter Deum & homines, sive è Judæis illi sint sive è gentibus, Vtrique enim ex æquo filij erant iræ, atque adeo * VTROS- V. 16.]
 QVE IN VNO CORPORE suo scilicet corpore, quod, pro innumeris hostiarum Veteris Testamenti corporibus unicam & sufficientem victimam obtulit (posset quoque exponi, ut utrosq; in unum corpus redactos) RECONCILIARET DEO PER CRUCEM, passionem scilicet, & mortem in cruce toleratam, PEREMTIS INIMICITIIS, quæ inter Deum & homines erant, adeoque placatâ irâ divinâ PER EAM intervntu scilicet & merito crucis mortisque suæ, * ET VENIENS V. 17.]
 EVANGELIZAVIT PACEM VOBIS utrisque CVM, QVI PROCVL ERATIS, gentilibus, TVM QVI PROPE, Judæis: respicit autem ad dictum Es. LV, 1, 19. & quidem Judæis suâ ipsius voce & ministerio pacem annunciavit, gentibus verò per Apostolos suos, ita utrisque pacem cum DEO procuravit, atque utrosque sine aliquo discrimine in unum corpus redegit. Hujus rei indicium est v. 18. * QVONIAM VTRI- V. 18.]
 QVE PER IPSVM, unum eundemque mediatorem, HABEMVS ADITVM IN VNO SPIRITV, sive ductu unius Spiritûs nos animantis & suppeditantis fiduciam accedendi AD PATREM. Quòd aditum habemus, sive Patrem accedere

- dere & ab ipso, quibus opus nobis est, petere audemus, argumentum est factæ reconciliationis & constitutæ pacis. Quod autem utrique per unum mediatorem & unius Spiritus instinctu accedimus, indicium est æqualitatis, & utroque in unum corpus coaluisse arguit. * NEMPE IGITVR (redit enim ad exaggerationem beneficij divini gentibus præstiti) non amplius procul abestis, NON ESTIS PEREGRINI, ET ne quidem INQVILINI, qui scilicet in alieno solo aut domicilio habitetis, SED pleno jure CONCIVES SANCTORVM & fidelium. ET DOMESTICI DEI, hoc est, de domo & familia DEI quæ est Ecclesia. * SVPERSTRVCTI SVPER FVNDAMENTVM APOSTOLORVM ET PROPHETARVM, hoc est fundamentum, vel quo innixi sunt Apostoli & Prophetæ, vel quod illi posuerunt. Intelligit autem doctrinam, quam sibi divinitus revelatam tradiderunt & scripto complexi sunt. Existente in hac Spirituali structurâ IMO ANGVLARI LAPIDE JESV CHRISTO. Hunc enim unum doctrina Prophetarum & Apostolorum respicit. Dicitur autem *imus lapis*, quia est fundamentum, à quo incipit Ecclesiæ structura; & in quo uno soliditas ejus fulcitur & salus nititur, adeò quidem, ut qui ab hoc fundamento se amoverit & locum extra quæsierit, neque pars structuræ esse, neque servari possit. *Angularis* autem *lapis* dicitur, quia ut angulis ædificiorum fieri consuevit, diversos parietes, è quibus Ecclesia construitur, Judæos puta & gentiles unit & conjungit: * IN QVO sive cujus vi & complexu TOTVM ÆDIFICIVM CONGRVENTER COAGMENTATVM indies assurgit & CRESCIT, ut sit TEMPLVM SANCTVM DOMINO, in quo scilicet à se sanctificato Deus habitet: Sicut enim olim in templo Hierosolymitano, ita hodie in Ecclesia gratiosam suam præsentiam evidentibus & illustribus signis Dominus testatam facit, * IN QVO ET VOS VNA ÆDIFICAMINI,

MINI, hoc est, vos quoque (iterum cognoscite DEI beneficium) sanctæ hujus structuræ pars estis, & lapides vivi superstructi eodem fundamento, & ab eodem angulari lapide simul comprehensi, VT SITIS HABITACVLVM DEI PER SPIRITVM, qui scilicet animos vestros ab inquinamentis vitiorum suâ gratiâ purgat & sanctificat, ut DEO domicilium præbeatis; quin etiam charitate, quasi calce & glutine quodam cogmentat, ut omnes in unam domum & unam Ecclesiam coalescat.

TERTIVM CAPVT.

HVJVS REI GRATIA sive propter hanc, de gentibus in Ecclesiam adseitis & Israëli exæquatis, doctrinam EGO PAVLVVS VINCTVS ILLE CHRISTI JESV, hoc est, propter gloriam Christi & ex amore Christi. Aliàs, vincti alicujus dicuntur, qui ab aliquo in vincula coniecti sunt; atque ea ratione Paulus vinctus erat Judæorum, sive potius Cæsaris, Vinctus autem Christi erat, quia propter gloriam Christi in vincula erat coniectus, & ex amore Christi læto lubentique animo vincula tolerabat. PRO VOBIS GENTIBVS, sive quia vos gentes Israëlis reipublicæ & Ecclesiæ assero, adeoque Judæis ex æquo; quam ob causam popularium meorum odium incurri, & ad eorum accusationem captus Romamque ductus sum: Est enim hic ellipsis verbi substantivi Sum, aut per longissimum hyperbaton hic versus cum v. 14. conjungendus erit. * SIQVIDEM AVDISTIS, quod passim ore omnium celebratur & latere vos non potest, nempe DISPENSATIONEM GRATIÆ DEI, hoc est, quale mihi commiserit officium & ministerium, & qualia dona ad ejusmodi ministerium implendum necessaria dederit ex suâ benignitate Deus, qui talia dispensat, & quidem *ἐἰς ὑμᾶς* IN VOS seu erga vos, ut ad vestram salutem ministerio illo fungar & donis meis utar. Ad eundem modum Col. 1. 25. *Ecclesie factus sum minister ex dispensatione*

V. 27

D 3.

satione

- satione DEI, quæ mihi data est erga vos. Per dispensationem autem gratiæ intelligit largitudinem gratiarum gratis datarum, ut vocant, hoc est, donorum intelligentiæ & scientiæ & miraculorum, aliorumque ad obeundum cum fructu ministerium & convertendos homines facientium. Siquidem audistis, inquit,*
- v. 3. *quale Deus ministerium & qualia mihi dederit dona, * QVOD videlicet PER REVELATIONEM NOTVM MIHI FECERIT MYSTERIVM illud. Quodnam intelligat, mox explicabit. Interjicit autem sic: VT de hoc mysterio ANTE*
- v. 4. *capp. videlicet præced. SCRIPSI * ET QVO PERLECTO POTESTIS PERPENDERE, quantis donis me Deus dignatus fuerit, & QVÆ SIT MEA INTELLIGENTIA IN MYSTERIO CHRISTI, hoc est, quam rectè, quæ negotium salutis generis humani per Christum partæ concernunt, intelligam, & Dei beneficio perfectè affecutus sim. Mysterium autem de quo loquor hoc est, quod ut ostendi c. I, v. 10. Secundum beneplacitum voluntatis suæ in plena temporis dispositione summam recolligere omnia, quæ in cælis & quæ in terra in Christo: Et quod, ut dixi c. II, v. 13. & seqq. qui procul eratis prope facti estis diruto septo intergerino, ac utrique in uno corpore DEO reconciliati, habemus aditum per unum Spiritum. Hoc inquam, mysterium de Christo, & salute per Christum parta, & vocatis, ad hanc salutem participandam, non modo Judæis, verum etiam gentibus (ad hanc enim mysterii partem potissimum respicit) Deus mihi notum fecit, * QVOD ALIIS ÆTATIBVS NON FVIT PATEFACTVM FILIIS HOMINVM. Quamvis enim nonnullis Deo carissimis, quos revelatione dignatus est, Patriarchis & Prophetis, à quibus prædictum quoque fuit ut ab Ec. xxxiv. 35. xlix. 6. innotuerit, non tamen vulgo cognitum & intellectum fuit. Neque ipsis Patriarchis & Prophetis ita perspicuè & cum omnibus circumstantiis innotuit. SIC VT NVNC REVELATVM EST SANCTIS APOSTOLIS*
- EIVS*

EIVS ET PROPHETIS (habēt enim Novum Testamentum quoque suos Prophetas Rom. xii, 6. I. Cor. xiv, 2, 3.) PER SPIRITVM sive dono & beneficio Spiritus Sancti, cui illuminatio mētis & revelatio veritatis solet tribui.* NEMPE GENTES ESSE COHÆREDES ET CONCORPORES, hoc est, unā cum Judæis in ejusdem hæreditatis consortium venisse, & in unum corpus coaluisse, CONSORTESQUE PROMISSIONIS EIVS sive benedictionis & salutis, quæ patribus & Abrahamo divinitus promissa est. Quin is etiā est, qui fide apprehensus facit, ut illarum promissionum nos quoque participes fiamus PER EVANGELIVM. Non enim nisi mediante prædicatione Evangelij in Christum credimus & promissæ salutis consortium adipiscimur. Eadem ratione mysterium de Christo gentibus patefaciendo, sive quod, ut hic loquitur, etiam ipsæ futuræ sint cohæredes & concorporales & promissionum consortes, vocat *mysterium à temporibus secularibus tacitum* Rom. xvi, 25. *Mysterium, quod absconditum fuit à seculis & ætatibus, nunc autem manifestum factum est sanctis ejus* Col. I. 26. Quoniam verò dixerat tanta beneficia gentibus obtingere per Evangelium, ulterius subjungit: *CVIVS, Evangelij scilicet, FACTVS SVM MINISTER EX DONO GRATIÆ DEI. Nempe cum tanti ministerii functio, tum scientia & facultas homines docendi, commovendi & convertendi, *consistens non in persuasoriis humana eloquentia, sed in demonstratione spirituali & potente*, ut loquitur I. Cor. II. 4. item animi alacritas & promptitudo, & reliqua muneri obeundo necessaria adminicula, obvenere mihi nullo meo merito, sed dono DEI gratuito, QVOD DATVM EST MIHI SECVNDVM EFFICACIAM POTENTIÆ IPSIVS, hoc est, sicut munus Apostolatus & dona ad id pertinentia ex divinâ gratiâ mihi concredita sunt, ita quoque virtute ejusdem gratiæ habent vim & efficaciam, ut imbecillia & otiosa minimè sint, sed divinitus

v. 6.

v. 7.

v. 8.

valida



v. 8.

valida, efficaciter gentium conversionem, fidem & salutem operentur. * MIHI inquam, QVI MINOR SVM MINIMO OMNIVM SANCTORVM & *non dignus vocari Apostolus, propterea quod persecutus sum Ecclesiam DEI* 1. Cor. xv, 9. DATA EST HÆC GRATIA, sive instructo donis adminiculisque sufficientibus commissum est munus EVANGELIZANDI INTER GENTES (1. Tim. ii, 7. II. Tim. I, II. Evangelii causa constitutus sum *præco, & Apostolus & doctor gentium*) IMPERVESTIGABILES ILLAS OPES CHRISTI: hoc est, quanta vis boni nobis in Christo offeratur, nempe quod à peccato, potestate Diaboli & morte æternâ liberatis donetur justitia, adoptio & salus ac vita æterna. * ET ILLVMINANDI, sive

v. 9.

plenè & quasi illatâ luce perspicuè docendi, OMNES, QUÆ SIT OECONOMIA, dispensatio, vel, ut nonnulli codices habent, *νομιμία* communicatio (res autem eodem redit) MYSTERII, hoc est, mihi commissum est munus docendi, quomodo Deus disposuerit ac ordinaverit gentes in unam cum Iudæis Ecclesiam, & quomodo hoc ipsum mysterium vocationis gentium, nunc, ubi post Christum in cœlos adscensum tempus præstitutum adest, reapse dispense & erogat, adeoque omnibus passim hominibus notitiam ejus, gentibus autem fructum ejus communique. QVOD mysterium ERAT ABSCONDITVM A SECVLIS, hoc est, quod nunc passim omnibus erogatur & cum omnibus suis circumstantiis perspicuè proponitur, id ab initio seculorum hucusque absconditum fuit IN DEO sive in DEI mente & consilio, QVI CONDIDIT hæc OMNIA, universam scilicet Ecclesiã & quæ in ea conspiciuntur, sive novas illas, de quibus II. Cor. v. 17. Gal. VI. 15. creaturas PER IESVM CHRISTVM. Sicut enim *in principio per ipsum omnia facta sunt & sine ipso factum est nihil* Joh. I, 3. Col. I, 16. ita quoque restauratio & innovatio, quæ iterata quædam creatio est, non nisi per ipsum facta fuit, aut fieri debuit.

buit. * Vt nota nunc fiat principatibus et
 potestatibus, quæ in coelis, hoc est, cœlestibus
 angelorum ordinibus, quorum præcipui principatus & po-
 testates, sive principes & potentes dicuntur, per eccle-
 siam, admodum congruenter, non ex solis Judæis, sicut o-
 lim, sed ex Judæis & gentibus, atque adeo non unius generis
 sed variarum linguarum & nationum gentibus coagmenta-
 tam, multiformis illa sapientia Dei. Nunc enim
 per ecclesiam, sive per illa, quæ in ecclesia geruntur, dum ex
 multiplici turbâ & discordibus populis colligitur, sapientia
 Dei multò illustrius innotescit, & admirationi & laudi ube-
 riorem materiam præbet quam olim, quando ex solis Judæis
 ecclesia constabat. At angeli mysteria nostram salutem con-
 cernentia, & successum Evangelij, & constitutionem ac in-
 crementa ecclesiæ introspicere cupiunt 1. Pet. 1, 12. atq; hinc
 in admirationem & laudes divinæ sapientiæ abripiuntur. Per
 ecclesiam igitur, uti hodie constituitur, uberior eis adest occa-
 sio sapientiam divinam agnoscendi, admirandi & prædicandi.
 Atque hæc ipsa fiunt, * secundum propositum se-
 cvlorum, hoc est, æternum; quod scilicet de gentibus,
 quæ desciverant, & per multas ætates suis ipsorum vijs ince-
 dere permissæ fuerant, vocandis inque ecclesiam adsciscen-
 dis constituit in christo Jesu domino
 nostro, respiciens videlicet ad ejus merita & adventum in
 carnem. Constituit enim, ne ante hunc paries ille intergeri-
 nus dirueretur. * in quo habemus *παρρησία* hoc est,
 domino Jesu Christo per suum spiritum nos regente & im-
 pellente, nos quidē apostoli habemus imperterritum animū
 & audaciam liberè & intrepide veritatem profitendi, & docen-
 di, et nos, quin vos etiam & omnes fideles habemus adi-
 tum in confidentia per fidem ipsius, hoc est,
 quia in christum credimus & per fidem deo reconciliati su-
 E mus,

v. 10.

v. 11.

v. 12.



mus, ideo ad Deum confidenter, accedimus ut amici, imò ut filij clamantes: Abba Pater, & exponentes, quibus indigemus, nosque iuari cupimus. Fiduciæ itaque justificantis consequens & effectum est fiducia accedendi ad Deum, hoc est quia toto animo Dei gratiâ & Christi meritis nitimur, & ex illâ propter ista remissionem peccatorum & reconciliationem consecutos nos esse confidimus, inde fit, hoc est, per fidem fit, ut de pace cum Deo certi & persuasi confidentes accedamus, & qualvis nostras necessitates spe obtinendi auxiliij exponamus. Nisi enim de remissione peccatorum & reconciliatione per Christum impetratâ confidamus, neutiquam confidenter accedemus; sed ne quidem Dei utpote irati & irreconciliati vultum audebimus obtueri. * **QVAPROPTER** quia videlicet tam bene mecum & vobiscum agitur, quia ego ex dono gratiæ minister sum Evangelij, vos autem ejusdem & bonorum ejus participes, **PETONE** perturbemini aut **DEFICIATIS ANIMO OB AFFLICTIONES MEAS PRO VOBIS**, docendis scilicet & confirmandis toleratas. Nam quia vobis Evangelium annuncio & vos cohæredes esse assero, à populâribus meis Judæis affligor, **QVÆ EST GRATIA VESTRA**, hoc est, vestrum Apostolum vestrâ causâ affligi tantum abest ut vos frangere debeat, vel ignominia & dedecus vestrum censerî possit, ut multò magis hinc vos confirmari & gloriari oporteat. Confirmari quidem, quòd quò plus malorum infracto animo perfero, eò plenior facio fidem, non esse vana promissa Christi, quorum spe fultus, nullis scil. vitæ malis labefacter. Gloriari verò quòd doctorem habeatis, qui nullis calamitatibus frangatur, & vestrâ ac Evangelij causâ qualvis afflictiones constanti animo perpetiatur, adeoque in corpore suo stigmata & insignia Christi portet: in germanos enim discipulos gloria magistri redundat. * **HVJVS REI GRATIA FLECTO GENVA MEA** (reverentiæ & humilitatis hoc signum.

v. 13.

v. 14.

signum est, eoque designatur ipsa invocatio, cui adhiberi con-
 suevit exemplo Christi Matth. xxv 1, 36. Stephani Act. vii, 60.
 Pauli & fratrum Act. xx, 36. xxi, 5.) AD PATREM DO-
 MINI NOSTRI JESU CHRISTI. * EX QVO *πᾶσι πατρὶα* V. 15.
 TOTO FAMILIA IN COELIS ET IN TERRA NO-
 MINATVR. Nominari ex Hebraismi more pro esse ponitur,
 quasi dicat, à Patre per Filium tota familia fidelium, sive in ter-
 ris illi militent, sive in coelis triumphent derivatur & depen-
 det. Vel Patris prædestinationi, consilio & benevolentiae u-
 niversa Ecclesia cum triumphans, tum militans suum debet
 esse, suamque, quâ pro reliqua hominum multitudine excel-
 lit, eminentiam & celebritatem, siquidem nominari accipia-
 tur pro celebrari, quomodo accipi posse diximus ad cap. 1,
 vers. 21. *πατρὶα* familia nobis est, ita Hebræi etiam *אבות*, pa-
 ternitates appellant, si hoc Latinum foret, aut potius familias
 ab uno patre descendentes, atque hoc verbi *πατρὶα* vertunt
 LXX. I. Paral. v. 13. 15. vii. 4. 7. II. Paral. I. 2. v. 2. ubi *οἰκὸς πα-
 τριῶν* & *ἀρχοντὶς πατριῶν* dicuntur *אבות* quoque *πατρὶαν* in-
 terpretantur cum alibi tum II. Sam. xiv. & alibi. Esth. ix, 38.
 * VT DET VOBIS SECVNDVM DIVITIAS GRATIÆ V. 16.
 SVÆ, hoc est, copiam & opulentiam gratiæ suæ gloriosam,
 FORTITER contra omnes perturbationes, & cum meas,
 tum vestras ipsorum adversitates CORROBORARI PER
 SPIRITIVM SVVM, quo sicuti nos regenerat, ita quoque
 fortes & magnanimos reddit, ne adversis dejiciamur. IN IN-
 TERIORE HOMINE, hoc est, secundum mentem & ani-
 mum Spiritu gratiæque Dei regeneratum, ut scilicet augescen-
 bus indies in vobis Spiritus Sancti donis, ad eam perveniatis
 fidei firmitatem & mentis constantiam, ne vel mundi illece-
 bris victi, vel persecutionibus fracti, à fidei sinceritate deficia-
 tis. Ita Rom. vii, II. dicit se *delectari lege DEI quo ad interiores*
hominem. Et II. Cor. iv, 16. *internum suum hominem indies*

renovari. Est igitur *interior homo* animus & superiores potentia, non ut simpliciter tales, sed ut Spiritu Dei regeneratae sunt.

- v. 17. * ET DET faciatque CHRISTVM INHABITARE PER FIDEM, ut feliciter inchoatam & haecenus conservatam, ita imposterum quoque inconcussam IN CORDIBVS VESTRIS. Sic enim ipse promisit, quod cum Patre suo ad fideles suos velit venire & apud ipsos habitare Joh. XIV, 23. VT IN CHARITATE (est hic trajectio particulæ *ivæ* Paulo non inusitata) RADICATI ET FVNDA TI, hoc est, ut de charitate DEI erga vos certi & persuasi, & vicissim divinæ charitati sincera dilectione respondentes; (fidei rectè subjungit charitatem: illa enim proficiscitur *ex mundo corde & conscientia bona, & fide minimè simulata* 1. Tim. 1, 5.) * VALEATIS ASSEQUI CVM OMNIBVS SANCTIS, hoc est, ut æquè ac reliqui omnes verè pij & fideles assequamini & intelligatis, QUÆ SIT illa LATITVDO ET LONGITVDO ET PROFVNDITAS ET SVBLIMITAS. Sunt hæc dimensiones corporum, quæ licet tres tantum sint: longitudo, latitudo, crassities; hanc tamen postremam secundum differentiam positionum & extremitates suas, quæ sunt sursum & deorsum, in profunditatem & sublimitatem resolvit. Constat itaque esse Metaphoram, à rebus corporeis, & præsertim insignibus structuris petitam. Si dicere velim: Considera quæso & observa, quantum sit illud ædificium sive templum, dicere poterò, rei exponendæ & exaggerandæ ergo: considera quæ sit illius templi vel ædificij longitudo, latitudo, profunditas & sublimitas. Hinc igitur dico, locutionem transumptam & Apostolum velle, ut fideles intelligant, quæ sit latitudo, longitudo, profunditas & sublimitas, cujus nam rei? Nam ne hanc quidem expressit, ut solent, qui cum affectu loquuntur, sententias non semper complere. Ejus inquam, cujus toties jam meminuit, & mox iterum mentionem faciet, gratiæ Dei & charitatis,

ritatis,

titatis Christi & mysterij de redemptione hominum hinc profecti. Simpliciter dixisset: Ut intelligatis quanta sit gratia & charitas Christi: hanc enim, sicut modo dixi, properans præ affectu exprimere non potuit. Mox subjungit, ut nihilominus constet de cujus rei magnitudine tanta & tam immensa loquatur. * ET NOSSE, inquit, CHARITATEM ILLAM CHRISTI, qua nos profectus, & qua majorem habere potest nemo Joh. xv, 13. mortui pro impijs peccatoribus, & qui quantum in nobis erat, inimici eramus Rom. v. 6. & seqq. OMNI COGNITIONE SUPEREMINENTIOREM, hoc est, quæ superat captum ingenij humani, ut & ab intellectu plenè capi & cognoscendo exæquari non possit: quantamcunque enim charitatem concipies, major tamen illa est, quâ nos Christus dilexit. Tantum tamen singuli ope Spiritus Sancti cognoscimus, quantum nobis ad salutem satis est. Quin hoc quoque ipsum cognoscimus, quantumcunque cognoscamus, cognitionis tamen perfectione illius perfectionem assequi & æquare nos non posse. VT IMPLEAMINI AD OMNEM VSQVE PLENITVDINEM DEI, eâ scilicet plenitudine cognitionis & charitatis, qua Deus suos implet & perficit, sive ut est cap. seq. ver. 13. ut crescatis *in virum adultum ad mensuram plenæ staturæ Christi*. Concludit gratiarum actione & laudibus divinis. * EI VERO QUI SVMMA CVM EXVBERANTIA POTEST OMNIA FACERE, SVpra EA QVÆ ROGAMVS ET COGITAMVS, hoc est, qui potest plura & præstantiora dare & præstare, quam nos petere, aut intelligere possumus. PRO ILLA VI AGENTE IN NOBIS, hoc est, indicium tantæ potentæ faciente illâ gratiæ & Spiritus ipsius virtute, quam in nobismet ipsis indies magis magisque corroboratis exeri & efficaciter operari, experimur, Ei, inquam, * SIT GRATIA IN ECCLESIA, quæ nunc militat & paulo post triumphabit PER JESVM CHRISTVM.

V. 19.

V. 20.

V. 21.

Quia ut per Christum misericordia eius ad homines est derivata, ita quoque per Christum ab hominibus ipsum glorificari fas est, IN OMNES ÆTATES SECVLI SECVLORVM, hoc est, omnem æternitatem. Cum enim Seculum aliàs denotet tempus certum, & aliquando haut ita longum ut Exod. XXI, 6. Seculum seculorum omnia tempora & secula comprehendit, nec ullo fine terminatur. Atque hæc fuit epistolæ pars dogmatica; sequitur parænetica.

QUARTVM CAPVT.

v. 1.

OBSECRO ITAQUE VOS, EGO VINCTVS IN DOMINO sive propter Dominum & Domini Evangelium, quasi dicat: quoniam tantis beneficijs vos affecit Deus, & æque ac Judæos ad gloriam & gratiam vocavit, omnino par est, & ego etiam, qui vestra & Evangelij causâ vincula perpetior, vos oro & obtestor, VT gratitudinem vestram declaretis & AMBULETIS, vitamque vestram instituatis, VTI CONVENIT VOCATIONI, QVA VOCATI ESTIS, *sicut, enim elegit nos, ut simus sancti & inculpati ut supra cap. 1. vers. 4. ita quoque non vocavit nos Deus ad impuritatem sed ad sanctificationem I. Thes. IV, 7. & ad pacem I. Cor. VII, 15. In eundem sensum I. Thes. II, 12. Obtestamur vos, ut ambularetis sicut convenit DEO, qui vocavit vos, ad suum regnum & gloriam Phil. I. vers. 27. ut convenit, Evangelio Christi vos gerite Col. I, 10. Ambuletis sicut Domino convenit, cui per omnia placeatis omnis operis boni fructum preferentes.* * CVM OMNI ANIMI SVBMISSIONE, absque arrogantia & superbia, ET MANSVETVDINE, sine ferocia & morositate, CVM IRÆ COHIBITIONE SVFFERENTES ALII ALIOS sive alij aliorum infirmitates, & mores, licet incommodos per charitatem (Col. III, 13.) *charitas enim omnia sustinet, omnia tegit I. Cor. XIII, 7.* * STVDENTES SERVARE VNITATEM SPIRITVS, hoc est, mentis

v. 2.

v. 3.

& ani-

& animorum, vel concordiam, cujus Spiritus Sanctus suator
 & auctor est, PER VINCVLVM PACIS, pace scilicet animos
 vestros colligante & consociante. Hujusmodi unitatem fide-
 libus studiosè colendam & sanctè servandam esse confirmat
 ab unitate rerum spiritualium, quarum ipsi omnes & singuli
 sint participes, * VNVM, inquit, EST CORPVS, Ecclesiæ
 scilicet, cujus unum est caput Christus, ET VNVS SPIRI-
 TVS in omnibus ejus corporis membris efficax, & motum vi-
 tamque spiritualem eis largiens, SICVT ET VOCATI
 ESTIS IN VNAM SPEM VOCATIONIS VESTRÆ,
 hoc est, eadem gloria & vita æterna omnibus vobis qui in Ec-
 clesiam vocati estis, speranda proponitur, unus est finis, ad
 quem omnes tendimus. Quia enim ejusdem patris sumus
 filij, ejusdem quoque hæreditatis erimus participes. Atque
 ita ut respublica ita quoque Ecclesia est unus quasi homo qui-
 dam sive unum corpus, quod unis iisdemque legibus regitur
 & ad unum finem tendit. * VNVS DOMINVS *Jesus* scili-
 cet *Christus* 1. Cor. VIII, 6. *hunc enim Deus fecit Dominum* Act.
 II, 36. Nam unus & solus à tyrannide diaboli nos vindicavit, &
 Patri suo reconciliavit. VNA FIDES sive doctrina de salute
 obtinendâ, quam omnes fideles, sive è Judæis sive è gentibus
 profitentur. VNVM BAPTISMA, licet enim vocabulum ba-
 ptismi varias habeat acceptiones; Sacramentum tamen rege-
 nationis & renovationis nostræ unum est institutum, immer-
 sione aquæ & pronuntiatione solennis formulæ. * VNVS
 DEVS, à quo tanquam unico principio ista omnia, & ad
 quem utpote unicum & ultimum finem per ista nos tendimus,
 is se suamque bonitatem per Filium suum Dominum nostrum,
 per fidem & per baptismum diffundit, & nos ad se invicem
 per eadem media colligit, estque non modo ut reliquarum
 creaturarum Deus, sed ET beneficentissimus & benignissimus
 PATER OMNIUM fidelium videlicet: ita enim secundum
 rem

V. 4.

V. 5.

V. 6.

rem propositam totum interpretamur, QVI secundum potentiam suam & SVPER OMNES ET secundum gratiam suam IN OMNIBVS VOBIS. Charitati igitur studere debemus quam maximè, quando quidem fratres sumus, unius patris filij & ab uno omnes bona spiritualia, quæ ad salutem necessaria sunt, eadem accepimus: nempe omnes in unum coaluimus corpus, eodem animamur Spiritu, unam & eandem speramus beatitudinem & gloriam ejusdem redemptoris, ejusdem revelationis mysteriorum, sive fidei & ejusdem baptismi participes facti sumus, atque ita quidem dona ad propriam cuiusque salutem necessaria omnibus eadem donantur. Bona verò ad augmentum & conservationem Ecclesiæ, & non tam ad propriam cuiusque quam ad aliorum salutem procurandam, facientia, quæ Scholastici vocant, gratias gratis datas, omnibus eadem aut paria non donantur. * SED VNICVIQVE NOSTRVM DATA EST GRATIA vel sapientiæ, vel scientiæ vel operationis virtutum, vel discretionis spirituum, vel interpretationis linguarum ut est i Cor xii, 8. & seqq. PRO MENSURA DONI CHRISTI, hoc est, prout Christo placuit visumque fuit cuique admetiri & distribuere. Hoc autem loco idem docet Apostolus, quod aliquanto prolixius tractat in i. Cor. cap. jam alleg. Tantum enim abest, ut donorum diversitas concordiam fidelium minuat, ut ad eam potius fovendam & confirmandam faciat. Nam in neminem Deus omnia contulit, neque quenquam tanta perfectione instruxit, ut sibi metipso ad cuncta sufficiat, nec alicubi alterius ope indigeat; sed cuique certam mensuram imperiit, ut alij ab alijs mutuò juvemur & in commune conferentes, quod singulis datum est, Ecclesiæ unitatem & integritatem conservemus. Non igitur major ex arrogantia minorem contemnat; nec minor majori invidet: ex quibus radicibus discordiæ inter homines semper ortæ sunt & nunc quoque oriuntur. Neuter enim

enim

enim altero carere potest, & uterque sua dona non habet à semetipso, sed ex Christi gratuita liberalitate. Uterque igitur cum in sui ipsius, tum in alterius donis divinam sapientiam & benignitatem agnoscat, in eâ acquiescat, eique gratias agat. * **QVAPROPTER**, ut scilicet ostendat Christum pro suâ sapientiâ & beneficiâ mensuram donorum cuique elargiri & distribuere, Spiritus Sanctus per os Davidis **PL. LXIIX, 19. DICIT, CVM ADSCENDISSET IN ALTVM**, sive coelos, **CAPTIVAM DVXIT CAPTIVITATEM**, activè scilicet acceptam, quasi dicat: ipsum carcerem cœpit, hoc est, diabolum, peccatum, infernum, mortem, à quibus hactenus captivum detinebatur humanum genus, vicit & triumphavit, **ET DEDIT DONA HOMINIBVS**. In Hebræo est: accepisti dona in hominibus, hoc est, accepisti dona, ut hominibus dares sive inter homines distribueres: qualis locutio, verbique vicini Ellipsis observatur **Gen. XII, 15. XLIII, 33. 34. Exod. XVIII, 12. XXV, 2. XXVII, 20. Num. XXIII, 27. Matth. IV, 8.** Cæterum locutus de adscensu in coelos sive de glorificatione Christi, ex occasione quoque mentionem iniicit de humiliatione ejusdem, ut nos exemplum secuti humiliati adsuescamus. * **NAM ILLVD ADSCENDIT QVID EST, NISI QVOD ETIAM DESCENDERAT PRIVS**, quasi dicat: cum dicitur Christus adscendisse monemur, ut cogitemus eundem prius descendisse, quàm rursus adscenderet, ut ita adscensus indicium prius facti descensus nobis faciat ejusdemq; memoriâ renovet. Descendit autem non corporali motu, qui in Deum ante incarnationem non cadit, sed humiliando sese & assumendo, cum creator esset, naturam creaturæ sive humanam. Si enim Deus è coelis in terras descendere dicitur, quando majestatem suam alicubi exercere & præsentiam indicium dare incipit, optimo sanè jure Filius Dei è coelis in terras descendisse dicitur, quando *in carne conspicuus factus* **1. Tim. III, 16. Et inter nos habitavit. Johan. I,**

v. 8.

v. 9.

F

14. Ne



14. Ne igitur nos detrectemus per humilitatem alij alijs con-
 descendere & inservire, moti exemplo ipsius Servatoris no-
 stri, qui pro nobis non recusavit descendere **IN INFIMAS**
PARTES TERRÆ, hoc est, in uterum virginis matris suæ,
 nam ita David uterum matris suæ vocat *in terra* Psal. cxxxix,
 15. *Non, inquit, occultum fuit corpus meum à te, quando factus fui*
in abdito, quando artificiose compactus sum in imis terra: Vel
infima partes terra sepulchrum Christi denotant; hæc enim
 maxima fuit Christi humiliatio, quod mori adeoque sepeliri
 voluit. *Infima autē partes terra* non statim ipsum centrum terræ
 significant, sed est idiotismus Hebræorum, juxta quem etiam
 in corde terræ tres dies & tres noctes Servator dicitur fuisse
 Matth. xii, 40. Infima enim pars & cor ponuntur pro qua-
 cunque interiore parte, & quæ ab extremis distet quovis mo-
 do, licet non admodum. Sic naves dicuntur ambulare in cor-
 de maris, quæ tantum non nisi superficiem maris findunt Prov.
 xxx, 19, Dicitur Tyrus sita esse in corde maris Ezech. xxvii, 4.
 xxviii, 2. quæ tantum non nisi quatuor stadijs à continenti se-
 jungebatur. * **QVI DESCENDIT, IPSE ETIAM EST**
QVI ADSCENDIT LONGE SVpra OMNES COELOS
 æthereos & corporeos, quique ex motibus & influentijs suis
 in notitiam homines venerunt. *Receptus in cælum* Marc. xvi,
 19. qui thronus est DEI: & sedes beatorum, *sedet ad dextram*
DEI: nam per adscensum ad cœlos denotatur hic exaltatio &
 glorificatio ejus exinanitioni sive humilitati opposita. Non
 igitur est, quòd metuamus humilitatem nobis obfuturam aut
 dignitati nostræ derogaturam. Quemadmodum enim Chri-
 stus, quia profundissimè se demiserat, altissimè super omnes
 cœlos est evectus, ita quoque *qui se humiliaverit extolletur.*
 Matt. xxiii, 12. Luc. xiv, 11. Hoc ipsum ad humilitatem im-
 pellens argumentum pluribus tractat Phil. ii, 5. & seqq. Idem
 igitur qui descendit, ipse etiam adscendit, *nemo enim adscendit.*

in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo
 Joh. III, 12. atque adeo significare vult hic Apostolus, quod ipse
 Servator Joh. XVI, 28. *Prodiit à Patre & veni in mundum, iterum*
relinquo mundum & proficiscor ad patrem. Optimè autem scripsit
 Theodoretus in hunc locum: *Non alius, inquit, ascendit alius*
descendit, sed aliter ascendit aliter descendit. Cum enim descen-
disset incorporeus, ascendit cum corpore. Descensus autem non signi-
ficat aliquam à loco ad locum transitionem, sed docet dispensationis
magnitudinem, quod cum esset altissimus, se adeo abjecerit, & tan-
tam humilitatem sustinuerit. Ascendit vero longè super o-
 mnes cælos, **VT IMPLERET OMNIA**, universam scilicet
ECCLESIAM è Judæis & gentibus collectam donis necessa-
 rijs instrueret & perficeret. Atq; ita redit Apostolus ad ea, quæ
 paulò ante dixerat, (de descensu enim & humilitate Christi ex
 occasione quædam interseruit) nempe unicuique datam esse
 gratiam pro mensura doni Christi, ipsumq; postquam ascendis-
 set in sublime, dedisse dona hominibus. *Nisi enim abiero,* ait
 ipse, *Paracletus ille non veniet ad vos* Joh. XVI, 7. Absolutè qui-
 dem venire potuisset Paracletus, etiamsi non abiisset Servator;
 verùm decretum erat à Patre, ut priùs non veniret, & dona
 scientiæ, prophetiæ, linguarum priùs non conferrentur Apo-
 stolis, & Ecclesiæ, quam ascendisset Servator, propterea etiam
Spiritus Sanctus non erat datus, quando Jesus nondum erat glorifica-
tus Joh. VII, 39. Is igitur postquam ascendisset implevit omnia,
 & ut subjicitur, *alios dedit Apostolos, alios Prophetas,* Idem alijs
 verbis expressit Petrus Act. II, 33. *Dextra DEI sursum sublatus*
& promissum Spiritum Sanctum adeptus à Patre effudit, quod vos
nunc cernitis & auditis donum scilicet loquendi linguis & pro-
 phetandi, sive exponendi scripturas. Eodem refertur quod est
 Col. II, 10. *Estis in eo completi,* & quod dicitur superiore. cap.
 vers. 9. *Ut impleamini ad omnem usq; plenitudinem DEI.* Hæc est in-
 terpretatio genuina & literalis, usq; , quæ in textu præcedunt



& sequuntur, respondet. Ad hanc alludit Ambrosius cum scribit epist. 16. *Ascendit ut impleret omnia, & nos omnes de plenitudine eius acciperemus.* Thomas ita: *Vt omne genus hominum spiritualibus donis repleret, & cum hoc convenit glossa interlinearis.* Nos quidem de donis in usum & ædificationem Ecclesiæ divinitus collatis, sive de gratijs gratis datis, accipimus. Extendi posset ad dona omnibus fidelibus communia & singulis ad salutem necessaria, & fortè eò etiam respiciunt Ambrosius & Thomas; præter mentem tamen Apostoli & sensum literalem id esse putamus. Nam etiam hæc ante Christi ascensum conferebantur; illa vero non nisi post ascensum. Proxima est, quæque ipsa aut pro literali haberi posset aut à literali minimum abludit, interpretatio: ut impleret omnia, quæ de ipso fuerant à Prophetis prædicta. Sic enim Luc. xiv, 44. *Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, in Prophetis & Psalmis de me,* ut autem rectè monet Lyranus, non solum prophetarunt de eius incarnatione, morte, resurrectione, sed etiam de eius ascensione. Præter superiorem, hanc quoque interpretationem adhibent Thomas & glossa interlinearis, & prætribus alijs primum locum ei concessit Anselmus. Hieronymus verò: *ut non tantum legem prophetasque completeret, sed & alias quasdam occultas dispensationes, quas solus ipse novit cum patre.* Subjungit autem nonnulla minus probanda: *Neque enim, inquit, scire possumus quomodo & angelis & his qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit, & tamen quin profuerit, nescire non possumus. Descendit quoque ad inferos & ascendit ad cælos, ut impleret eos, qui in illis regionibus erant, secundum id quod se capere poterant.* Hæc Hieronymus. Dubium non est, quin perfectâ beatitudine in suis compleat omnia cum animi tum corporis desideria, & huc trahi posset præsens locus. Theophylactus ex Chrysostomo interpretatur, ut omnia impleat dominatu & operatione suâ, idque in carne, quandoquidem

divini-

divinitate jam ante omnia compleret. Oecumenius in eundem sensum: *Etenim & nudâ olim divinitate omnia adimplebat, & incarnatus ut omnia cum carne adimpleret, descendit & ascendit. Hoc sibi voluit descendit & ascendit, ut ex imo loco in alium trans-eundo successivè omnes mundi partes obiret, Et ubique non tantum ut DEVS, sed etiam ut homo suam potentiam exerceret & declararet.* Et huc alludit quoque Bernhardus sermone de ascensione. Anselmus tres præterea adhibuit interpretationes, quarum postrema est potissima & tolerabilis. Ipsæ auctoris verbis adscribantur: *Omnia donis suis adimplevit, ascendit ut etiam angelica creatura, quæ ante erant impleta adimplerentur, hoc est, promotionem quandam acciperent. Nam non solum homines sed etiam angeli promoti ascensione ejus. Vel omnia adimplevit, hoc est, rationalem creaturam perfectè ad integrum adimplevit, hoc est, humanum genus & numerum angelorum: Nam in restauratione hominum suppletur numerus angelorum qui diminutus erat casu reproborum spirituum, sicq; complendo numerum electorum ex angelis & hominibus adimplet omnia. Vel: omnia regna mundi adimplevit suo cultu.* Hæc sunt loci hujus, quas quidem apud antiquos invenias, interpretationes. Manifestum est nullum eorum ita accepisse, ut Christum implere omnia, idem esse putent, quòd Christum omnia & totum universum secundum præsentiam substantiæ carnis suæ replere, quâ ratione de præsentia & immensitate divinitatis suæ dicit Dominus: *Annon cælos & terram ego impleo* Jer. xxiii, vers. 24. Ea verò, quam primo loco adhibebamus, expositio rei propositæ iisque, quæ præcedunt & sequuntur, maximè convenit & literalis est. Nam Christus, sicut à Patre erat constitutum, ascendit supra omnes cælos, ut inde mitteret Spiritum Sanctum & omnia impleret, sive Ecclesiam universam necessarijs donis instrueret & pro diversitate donorum diversa quoque officia institueret. Is igitur * DEDIT

V. II.

F 3

ALIOS



ALIOS QUIDEM APOSTOLOS, ab ipso in hoc constitutos, ut Evangelium per uniuersum orbem prædicarent & miraculis confirmarent, Ecclesias etiam ubique terrarum fundarent, ipsi interim nullis certis sedibus affixi, sed prout opus erant & occasio ferebat propagando Christi regno intenti, hinc inde velut legati commigrarent, & Ecclesias vel novas erigerent, vel erectas confirmarent. Tales duodecim fuere, quibus postea accessit Paulus. ALIOS VERO PROPHETAS, qui secundo ab Apostolis loco, vel dono vaticinandi siue futura prædicandi pollebant, qualis Agabus Act. xi, 28. & quatuor filia Philippi Actor. xxi, 9. vel instructi erant singulari dono interpretandi scripturas, quæque in ijs occulta sunt & obscura exponendi, qualis propheta memoratur Rom. xii, 6. & magnopere commendatur I. Cor. xiv. ALIOS EVANGELISTAS, quidam populum & homines rudes Evangelium & doctrinam de Christo saluti consequendæ necessariam quam simplicissime docebant, unde unus ex septem Diaconis Evangelista dicitur Act. xxi, 8. Et in epist. ii. ad Tim. iv, 5. scribit Paulus: *Opus Evangelistæ perage*: Videntur autem fuisse comites Apostolorum, qui, cum omnibus sufficere non possent, horum auxilio in erudienda plebe usi sunt. Ita Barnabas comes Pauli Act. xiii, 2. Et tales sine dubio erant Sosthenes, Timotheus, Sylvanus, quos sibi in epistolarum inscriptionibus jungit, ita tamen ut se solum Apostolum dicat. ALIOS AVTEM PASTORES, qui certo gregi præerant, cuiusq; curam agebant, non tantum docendo, verum animadvertendo in vitam & mores auditorum, ne peccatis contra conscientiam incumberent, & se cum perditum irent, tum alios ad peccandi societatem invitarent. Hi alio nomine Episcopi dicuntur inspectioni vacantes I. Pet. v, 2. quorum etiam est arguere, oburgare & exhortari II. Tim. iv, 2. ET DOCTORES, qui ipsis pastoribus formandis incumbunt & præficiendos populo erudiunt,

diunt, atque adeo scholis ecclesiasticis præsent, operamque dant & invigilant, ne sinceritas dogmatum corrumpatur, aut errores in doctrinam irrepant. Tales in Ecclesia Alexandrina Pantænus apud Euseb. hist. l. v. c. x. Clemens Alexandrinus l. vi. c. & Origenes. Ex re vero ipsa conspicitur tria munera priora temporaria fuisse: neque enim Apostoli successores habuerunt, qui etiam ipsi Apostoli essent, & cum desierint esse Apostoli, desierunt etiam esse Evangelistæ, qui Apostolorum forent comites, & ad eum, quem diximus, modum Apostolis adjuncti plebem erudirent. Cessavit quoque extraordinarium munus interpretandi scripturas. Quod enim hodie superest, à pastorum & doctorum officio sejungi nequit. Atque hæc duo posteriora munera iisque assignata dona, talia sunt, ut in Ecclesiâ ea oporteat esse perpetua. Vt itaque diversa dona, ita pro donorum diversitate, diversa quoque Christus voluit esse officia. * AD COAGMENTATIONEM SANCTORVM
sive fidelium IN OPVS MINISTERII, ut scilicet ministerium, quod in Ecclesiam impendendum est, ritè & rectè peragatur, IN ÆDIFICATIONEM CORPORIS CHRISTI, hoc est, ut Ecclesia, quæ corpus Christi, ædificetur & crescat: hi enim fines sunt ecclesiasticorum officiorum. Cum autem hic Apostolus agat de unitate Ecclesiæ conservandâ & de constitutione & exstructione Ecclesiæ, nullam vero unius sub Christo capitis, ut vocant Pontificij, ministerialis mentionem faciat, manifestum quoque est nullum tale à Christo datum esse, neque ad ædificationem Ecclesiæ quicquam facere: alioquin enim res tanti momenti, & tantopere ad propositum pertinens & Apostolo præteriri non potuisset. Subjungit expositionem ejus, quod vers. præced. dixerat, seque ipsum aliquantò clarius explicat. * DONEC PERVENIAMVS NOS OMNES, qui secundum præscientiam DEI ad fidem & vitam electi sumus IN VNITATEM FIDEI
ET

V. 12.

V. 13.

ET AGNITIONIS FILII DEI, hoc est, donec nos omnes unum DEI Filium mundi redemptorem & nostrum mediatorem agnoscamus, vivaque fide amplectamur, sive donec omnes coalescamus in unum quoddam corpus, mediante fide & agnitione Filij DEI, IN VIRVM ADVLTVM, hoc est, donec etiam in Christi fide & agnitione simus, non ut pueri, qui adhuc in rudimentis hæreamus, neque satis assequamur, quibus opus est, sed ut viri, sive viriles, certi, & confirmati in veritate & constantes. Eadem Metaphora usus I. Cor. II, 2. *Vt infantes, inquit, in Christo lactis potu vos alui, Et cap. XIII, II. Cum essem infans, ut infans loquebar & sapiebam & rationabar, postquam autem factus sum vir &c.* Dicit autem numero singulari: *in virum adultum*, ad denotandam unitatem, quam à ver. tert. hucusque inculcavit. Est enim Ecclesia ut unum corpus & unus homo. Scite hunc totum versum reddidit Syrus interpres: *Donec simus omnes unum quoddam in fide & in agnitione Filii DEI & unus vir perfectus* IN MENSVRAM STATVRÆ PLENITVDINIS CHRISTI, hoc est, ut acquiramus eam staturam quæ plena & consummata sit, Christoque in nobis formato Gal. IV, 19. conveniat. Nempe sicut Christus justam & plenam habuit viri staturam; ita analogicè in nobis quoque eandem acquirat, dum nos in ipso ad debitam & justam fidei ac charitatis perfectionem & magnitudinem pervenimus. Perseverat in eadem adulti viri Allegoriâ, eamque plenius adhuc explicat: * VT NE SIMVS AMPLIVS PVERI (*fratres ne estote pueri prudentia sed malitia infantes, prudentia vero adulti estote* I. Cor. XIV, 20.) QVI FLVCTVEMVS ET CIRCVMFERAMVR A QVOVIS VENTO DOCTRINÆ. Est Metaphora desumpta à naviculis, quæ in procelloso mari jactatæ certum cursum tenere non valent, sed abripiuntur, quocumque fert impetus, quasi dicat: ne ob imbecillitatem judicij, & quod in veritate doctrinæ parum simus

confir-

v. 14.

confirmati, quid vis nobis persuaderi patiamur, aut ad quod-
vis oblatum dogma de sinceritate doctrinæ addubitemus, in-
certi quo nos vertere debeamus & an pristina abiicere nova
vero dogmata amplecti oporteat. IN HOMINVM ALEA,
hoc est, in certis casibus & eventibus, quibus jactari solent
homines, ut in lusu aleæ omnia dubij & incerti sunt eventus,
pendentque non ab arte aut scientia, sed à fortuna. Quod
igitur attinet salutem, non vult DEUS non vela ventis dare
& aleam jacere, sive fortunæ arbitrio committere, quo res
cunque cadat, num scopum tangamus aut ab eo aberremus.
Dedit pastores & doctores, ut sciamus doctrinæ certitudinem,
ne jactemur inter discordiam dogmatum incerto eventu
PER VETERATORIAM VERSVTIAM AD ARTIFI-
CIOSE FALLENDVM compositam. Nunquam enim de-
sunt impostores & vafri sycophantæ, qui sinceritati fidei in-
fidias tendant. * SED SINCERE NOS GERENTES, sive v. 14.
ut est Ioh. III, 21, *facientes veritatem*, hoc est quod decet &
conuenit nos facere & exequentes debita Christianismi offi-
cia IN CHARITATE, sive per opera charitatis prorsus
ADOLESCAMVS & grandescamus IN EVM, hoc est, uni-
ti & copulati cum eo, & vim agnoscendi accipientes ab illo &
incrementum capientes, sicut conuenit illi, qui dat incre-
mentum, QVI EST CAPVT, nempe Christus. * EX v. 15.
QVO TOTVM CORPVS CONGRVENTER COA-
GMENTATVM ET COMPACTVM PER OMNES SVP-
PEDITATAS COMMISSVRAS sive juncturas, ut mem-
brum membro fidelis fidei cohæreat, EX VI capitis Chri-
sti INTVS AGENTE PRO MENSURA CVJVSQVE
MEMBRI, hoc est, prout cuique membro datur, quantum
conuenit & opus est, a licet absolutè, non tantum crescant di-
giti, quantum crura, femora, & brachia, proportionaliter
tamen tantundem crescunt. Atque ita proportionaliter
G crescen-

crescentibus singulis membris, totum corpus INCREMENTVM CAPIT CORPORI CONVENIENS AD SVI IPSIVS EXSTRUCTIONEM PER CHARITATEM, sive charitate membra inter se invicem jungente & combinante. Ita hortatus est Apostolus ad concordiam & unitatem colendam tuendamque argumento ducto, cum ab unitate bonorum spiritualium ad salutem cuique necessariorum, tum à diversitate donorum facientium ad ædificationem Ecclesiæ, variorum quidem sed conspirantium in unum finem & exstructionem unius corporis. Sequuntur aliæ cohortationes, quæ ut efficaciores & evidentiores sint, describit vitam infidelium impiam & profanam, eique opponit vitam, quæ fidelibus convenit. Absurdum enim fuerit illustratos luce Evangelij nihil differre ab hominibus cæcis. * HOC ITAQUE DICO ET vos OBTESTOR, NE quemadmodum, priusquam vocaremini & Evangelium amplexi essetis, à vobis factum fuit, ita etiamnum AMBULETIS, sive vos geratis, SICUT RELIQVÆ GENTES, quibus, uti vobis, lux Evangelij non affulsit: AMBVLANT & vitam suam instituunt IN VANITATE MENTIS SVÆ, secutæ vanas mentis suæ opiniones & persuasiones. Nam quia mens in homine principatum tenet, & voluntati præit ac actiones moderatur & dirigit, si fuerit ipsa vanitati dedita sive non nisi mundanos honores, divitias & voluptates cogitet, æstimet & magni faciat, non potest aliter fieri, quin totus homo vanitati studeat & rebus vanis occupetur. * TENEBRIS OBSCVRATVM HABENTES INTELLECTVM partim, quia quod vident, aut certè videre possent, videre nolunt atque ita *veritatem in injustitia detinent. & cum Deum norint, tamen ut Deum non glorificent neque gratias ei agunt, sicut est Rom. 1, 18, 21.* partim quia veritas mysteriorum ad salutem necessaria & in Evangelio declarata eos latet; laborant itaque cum vanitate tum cœcitate intel.

v. 16.

v. 17.

intellectus, ET ALIENATI A VITA DEI sive vivendi modo, quem Deus à nobis exigit & in nobis efficit PROPTER IGNORANTIAM, QUÆ EST IN IPSIS. Quia enim DEUM DEIQUE legem & voluntatem ignorant, non possunt non à vita, quam Deus approbat, aberrare. Nam *si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Matt. VI, 23. PER OBTVRATIONEM CORDIS IPSORVM; hæc scilicet cœcitatem mentis consequitur, quippe obtenebrata mente, quæ lux est hominis & dux omnium actionum, nempe si prava judicentur esse recta, si idololatria existimetur verus cultus, si fornicationes & comestiones pro peccatis non habeantur, necesse est voluntatem pro veris bonis falsa & apparentia eligere, atque adeo omnes actiones vitiosas reddi; quin appetitum sensitivum, qui in corde sedem habet, cujusque natura est ut feratur in bonum delectabile, vitijs penitus assuescere & prava vivendi consuetudine obdurari & quasi callum obducere. * QVI POSTQVAM DEDOLVERVNT, hoc est, omnem sensum pravitatis & dedecoris, quod in crimine est, deposuerunt, nec, cum peccant, ullum animi dolorem aut conscientia morsum sentiunt. Hoc autem ad tenebras mentis & indurationem cordis consequitur. Sicut enim sensui callum inducit doloris assiduitas, ut tantopere non sentiat malum, cui assuevit, ita quoque animo callum obducit peccandi consuetudo: ut cum more solito peccat homo, nec criminis turpitudinem animadvertat, aut horreat, nec pudore afficiatur, nec metu judicij divini tangatur, sed potius ac si nullam haberet conscientiam, intrepide pergat & flagitijs, quibus assuevit, se delectet. Postquam igitur gentes ad eum, quem diximus, modum obduratâ conscientia & extincto judicij divini timore, dedoluerunt, SESE DEDEDERVNT LASCIVIAE AD CERTATIM PATRANDAM IMPVRI- TATEM OMNEM, hoc est, beluino impetu sese projece-

v. 19.



- runt ad omnem turpitudinem & , quasi de lucro actum aut primum propositum esset , omnis generis flagitia data opera commiserunt. Sequitur Antithesis vitæ Christianæ , quæ
- V. 20. longe alios mores requirit. * VOS AVTEM NON ITA DICISTIS CHRISTVM , sive ad eum modum ductu & auspicijs Christi in religione Christiana minime instituti estis ,
- V. 21. * SI MODO ut verè fideles & genuini Christiani EUM AVDIVISTIS , ET PER IPSVM ac Spiritum ejus intus in animis ac cordibus loquentem EDOCTI ESTIS. Additur in Parenthesi : SICVT EST VERITAS JESV , hoc est , sicut à Jesu Christo & in ejus ecclesia , quod verum , justum ,
- V. 22. pium & sanctum est docetur. Si , inquam , edocti estis * DEPONERE non quoad naturam & substantiam , sed QUOAD PRISTINAM CONVERSATIONEM , sive vivendi & peccandi consuetudinem , VETEREM ILLVM HOMINEM , QUI SE CORRVMPIIT DESIDERIIS FALLACIBVS. Vetus homo denotat mores , quos ab Adamo per generationem peccato originis infecti traximus , atque hujus est non modò vitam DEI ignorare , sive verum & summum bonum negligere , sed in bona jucunda & fallacia præter & contra judicium rationis obstinatè ferri. * RENOVARI VERO SPIRITV MENTIS VESTRÆ , ita Rom. XII, 2. *Transformate vos per renovationem mentis vestrae. Nihil aliud est Spiritus mentis , quam mens , ait Augustinus , sicut corpus carnis nihil aliud est quam caro , lib. de spiritu & animo cap. x.* * ET INDVERE NOVUM ILLVM HOMINEM , QUI SECUNDVM DEVM , hoc est , exemplum & imaginem DEI , CONDITVS EST IN JUSTITIA ET SANCTITATE VERITATIS , hoc est , vera. Dicit veterem hominem & novum hominem in concreto. Vetustas enim , quæ ab Adamo priore per generationem trahitur , à nativitate , quam per generationem in Christo , altero Adamo obtinemus , tantum distat ,
- ut

ut videatur idem homo, dum verustate oblitus consuetudinem peccandi sequitur, & rursus quando in Christo renovatus puritati vitæ studet, à semetipso differre. Hinc descendit à genere ad speciem & veteris hominis partes, sive membra recenset * **QVAPROPTER DEPOSITO MENDACIO LOQVAMINI VERITATEM QVISQVE PROXIMO, NAM SVMVS ALII ALIORVM MEMBRA. Vnum autem membrum alteri non insidiatur, non obiicit manus pedi in quod impingat & cadat. * IRASCIMINI ET NE PECCATE,** hoc est, si, uti homines sumus, contingit vos aliquando irâ corripì, ne pergite longius, nec ei per rationem & voluntatem consentite, multò minus, quod ipsa suaferit, exequimini, aut vindictæ indulgete, sed gliscentem Spiritus moderamine comprimite & refrenate: alioquin enim erit, ut non ex imbecillitate, verum ex protervia, deliberato animo & contra conscientiam peccetis, **SOL NON OCCIDAT SVPER EXACERBATIONE VESTRA.** Proverbialis est locutio, qua significatur iracundiam primo quoque tempore coërcendam esse. Neque enim permittit Apostolus, ut toto die iræ indulgeamus, aut vindictam meditemur, aut exerceamus, sed hoc sibi vult, iram animo fovendam & offensas mente volvendas non esse, sed continuò obliterandas, ne malum ingravescat. Atque ideò subjungit: **NEQVE DATE LOCVM DIABOLO:** Diabolus enim malorum auctor, & inceptor iracundis cogitationibus facillimè se insinuat, & injurias factas aggravando, rationem & judicium hominis irati turbat & suggestionem suâ ad vindictam accendit. * **QVI FVRABATVR NON AMPLIVS FVRETVR, SED LABORET POTIVS MANIBVS SVIS, VT habeat unde semetipsum toleret, & aliis INDIGENTIBVS LARGIATVR. * NULLVS SERMO PVTRIS,** sive calumniæ, lasciviæ, obscœnitatis graveolentiam spirans

EX ORE VESTRO EGREDITOR, SED SI QVIS
 COMMODVS EST AD ÆDIFICATIONIS VSV M,
 hoc est, profectum in pietate, VT GRATIAM AFFERAT
 AUDITORIBVS, hoc est, ut gratioſè, commodè & venuſtè
 prolatus auditorum animis eò rectius & melius ſe inſinuet.

v.30. * ET NE TRISTATE SPIRITVM ILLVM SANCTVM DEI.
 Similis locutio Eſa. LXII, 10. *afflixerunt* ſive dolore affecerunt
Spiritum ſanctitatis eius. Spiritus quidem DEI neque dolet,
 neque dolere poteſt, ſed *ἀνθρωποπαθῶς* hæc dicuntur: ſicut
 enim homo inclitus & elegans foeditate hoſpitij aut ſpurci-
 tiâ hoſpitis contriſtari & offendi ſolet, ac ab itum meditari,
 ita quoque Spiritus Sanctus, ſi loquemur aut agemus foeda &
 turpia, offendetur, atque à nobis diſcedet. Homines itaque
 obſcœni, maledici & peccatores, quantum eſt ex parte ſua,
 contriſtant Spiritum Sanctum, quia dant cauſam, quæ nata
 ſit contriſtare, etiamſi reape Spiritus Sanctus contriſtari ne-
 queat, quod tamen non eſt ex defectu cauſæ vel objecti, ſed
 ipſius perfectione. PER QVEM OBSIGNATI ESTIS,
 quaſi addito ſigno DEO conſecrati vid. ſup. cap. 1. verſ. 13.
 II. Cor. 1, 22. IN DIEM REDEMPTIONIS, hoc eſt, eo fine,
 ut extremo reſurrectionis die, ad quem uſque reſervata eſt
 perfecta noſtræ liberationis conſummatio, plenè ab omni
 malo & mortis imperio redimamur, & ad cœleſtem gloriam
 & beatam immortalitatem transferamur.

QVINTVM CAPVT.

CVM ſub finem ſuperioris cap. ab irâ & iræ effectibus de-
 hortatus fuiſſet Apoſtolus, cohortatus autem ad oppo-
 ſitam lenitatem & manſuetudinem, ut ſimus alij in alios be-
 nigni & miſericordes, condonantes nobis mutuò offenſas,
 ſicut & Deus in Chriſto unigenito ſuo Filio pro nobis dato
 nobis

nobis condonavit nostra, quæ adversus ipsum commisimus, delicta & peccata. Consequenter subjungit. * ESTOTE IGITUR IMITATORES DEI, videlicet *estote misericordes sicut & Pater vester misericors est*, Luc. VI, 36. & sicut DEUS vobis condonavit offensas vestras, ita quoque condonate fratribus & conservis vestris, VT FILII DILECTI, quandoquidem enim per gratiam facti estis filij DEI, si fueritis germani & non degeneres filij, benefaciendo & condonando imitabimini patrem, *qui facit oriri solem suum super improbos & bonos, & pluit super justos & injustos* Matth. v, 45. * ET AMBVLATE IN CHARITATE, quâ alij alios complectamini, SICVT ET CHRISTVS DILEXIT NOS. VT Patrem, ita quoque Christum imitandum proponit nobis, & hic etiam ipse suam, qua nos persecutus, charitatem nobis in exemplum esse vult, *sicut, inquit, dilexi vos, diligatis alios, ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis, alii in alios* Ioh. XIII, 34, 35. cap. XV, 12. *Hoc est mandatum illud meum, ut diligatis alii alios prout dilexi vos, & subjungit magnitudinem suæ dilectionis majorem charitatem nulus habet, quam istam, ut quispiam animam suam deponat pro amicis suis.* Ad eundem modum hoc loco Apostolus, quantus fuerit ille Christi erga nos amor, mox exponit: sibi metipsum enim & vitæ suæ non pepercit, ut nos à morte redimeret ET TRADIDIT SEMETIPSUM PRO NOBIS *ωγοσφορα* OBLATIONE M. Hoc vocabulum est generale, quod declaratur per aliud speciale proximè subjunctum *ηγι θυσιασ*. Tradidit videlicet semetipsum non oblationem inanimem & incruentam, sed vivam & animatam VICTIMAM, quæ morte afficeretur & consecraretur DEO: huic enim soli & offertur sacrificium & *λυτρω* pro nobis persolutum est IN ODOREM BONÆ FRAGRANTIÆ: dicitur de sacrificiis Reach nichoah *odor quietis* Lev. I, 9. XIII, 17. & alibi sæpissime, LXX *reddide*

V. 1.

V. 2.

diderunt ὄσμην εὐωδίας odorem suauitatis, siue bonæ fragran-
 tiæ, quibus verbis hic usus est Apostolus. Tribuitur autem
 DEO ἀνθερωποπαθῶς odoratus; ita sacrificante Noacho dicitur
 odoratus odorem quietis vel suauitatis Gen. iix, 21. Contra
 apud Amos Prophetam cap. v, 21. *Reprobavi, inquit, solenni-
 tates vestras & non odorabor oblationes catuum vestrorum.* Nem-
 pe sicut homo delectatur suavi odore, ita quoque DEUS sacri-
 ficiis, quæ fiunt secundum ipsius præscriptum & in vera pie-
 tate; alia vero nihil moratur, imò averfatur. Quoniam au-
 tem Christus semetipsum obtulit, cum ex perfectâ erga Pa-
 trem suum obedientia Phil. i, 8. tum ex ardentissimâ in ge-
 nus humanum charitate, absolutissimum fuit Deoque gra-
 tissimum Christi sacrificium. Atque hoc ipsum phrasi ex Ve-
 teri Testamento petita significatum iuit Apostolus. * SCOR-
 TATIO VERO ET OMNIS IMPVRITAS, AVT AVA-
 RITIA tantum abest, ut à vobis exercenda sit, ut NE NO-
 MINARI quidem debeat. Nam sicut monuit ethnicus et-
 iam Aristoteles sept. polit. cap. xvii. *Facile turpia loquendo
 efficitur ut homines his proxima faciant.* * ET OBSCOENI-
 TAS ET STVLTILOQVIVM. ET εὐτραπεία. Aristoteles
 vero l. iv. Eth. cap. viii. εὐτραπείαν virtutem facit moralem,
 quæ seria temperet & animum exhilaret per jocos honestos,
 decentes & moderatos; ei per excessum opponit βωμολοχίαν,
 quæ nihil aliud quærat, quam ut homines in risum dissolvat
 spurcitie & maledicentia intermistis. Hæc scurrilitas & βω-
 μολοχία est, quam à vulgo levitati & risibus nimium addicto
 εὐτραπείαν vocitari monet ἢ οἱ βωμολόχοι inquit, εὐτραπέλοι προ-
 σαγορεύονται ὡς χαρῆντες. Atque eo sensu usuque vocis εὐτρα-
 πείαν hic accipit Apostolus, vertique debet, non ut vertit E-
 rasmus, urbanitas, sed ut rectè vulgatus interpres scurrilitas.
 Nam joco conveniente, quin mordace usus fuit ipse Elias i.
 Reg. xix, 27. Et ut res magis manifesta sit, addit ipse Apo-
 stolus,

stolus, **QVÆ NON CONVENIUNT**, *ἐντραπιλία* scilicet
 intempestivam & inconvenientem, quæque ad ædificationis
 usum, ut loquebatur superiori cap. v, 29. nihil quicquã faciat,
 nec gratiam auditoribus afferat; hanc Christianis indignam
 esse docet. Atque hæc ipsa *βωμολοχία* & *ἀδολοσχία* proprie di-
 citur. Vocatur tamen & *ἐντραπιλία* ex usu vulgi. Est itaque
 quasi dixerit Apostolus: illa vestra, quam vos appellare ita
 consuevistis, *ἐντραπιλία* non decet vos Christum profesos,
SED POTIVS GRATIARVM ACTIO, hoc est, nolite in
 colloquijs vestris vos oblectare sermone turpi & scurrili, sed
 potius de gratia Christi & vocatione vestra, atque alijs im-
 mensis, quæ vobis divinitus exhibita sunt, beneficijs loqui-
 mini, ut ea ratione ad gratias Deo agendas mutuò vos exci-
 tetis. Addit rationem, qua dehortatur à turpiloquio, maxi-
 me urgentem. * **NAM HOC NOSTIS**, inquit, **NON HA-** v. 5.
BERE HÆREDITATEM IN REGNO CHRISTI ET
DEI VLLVM SCORTATOREM AVT IMPVRVM,
 quibus scilicet criminibus paulatim adsuescunt, qui obscœna
 loquuntur. Sicut enim paulò ante diximus: qui turpia lo-
 quitur minimum abest, ut turpia faciat, quique flagitiosis cri-
 minibus delectatur à flagitiosis facinoribus neutiquam ab-
 horret. **AVT AVARVM, QVI EST IDOLOLATRA.**
 Sic quoque Col. III, 5. *Avaritia, quæ est idololatria.* Quare
 vero avarus magis idololatra est, quam scortator? Nam sicut
 ille præ thesauro suo DEVM negligit, ita quoque iste præ vo-
 luptatibus suis, & mavult DEVM offendere, quam has missas
 facere. Sic quicumque rei alicui prorsus dediti sunt, & unicè
 incumbunt & student & inserviunt, rem eam pro DEO habere
 dicuntur. Ita qui contentiones serunt, ut animos interim
 occupent & lucrum faciant, atque adeo, qui terrestria curant,
 non Domino nostro JESV Christo, sed ventri suo servire
 dicuntur Rom. XVI, 17. & venter eorum Deus esse Phil. III, 19.

H

Sed



Sed avaritiam singulariter idololatriam nuncupat Apostolus & avarum idololatriam; nempe præcipuus Dei cultus hic est, ut in eo vitæ nostræ spem & omnem fiduciam collocemus, certò persuasi, quòd ipsius præsidio & auxilio quævis mala effugere & bonorum potiri dabitur. Atque hinc porrò fit, ut ipsum diligamus super omnia, veneremur & mandatis lubenter obsequamur: Qui vero idola colunt, illam, quam diximus, & quæ Deo debebatur, fiduciam ad idola transferunt & hinc consequenter idola amant & venerantur. Pari ratione avari in thesauris suis spem vitæ & fiduciam ponunt, seque eorum præsidio tutos & beatos fore sperant. Non autem hoc libidinibus, voluptatibus suis tribuunt libidinosi aut cæteri certæ cuique rei addicti, ut in ea spem vitæ collocent. Propriâ itaque & peculiari ratione avarus est idololatra, quia quod in idolorum cultu potissimum est & maximè abominandum, & à quo cætera pendent, nempe ut idolum habeatur, tanquam si vitam & vitæ necessaria dare, tueri & sustentare posset, id thesauro suo adscribit avarus, ac inde porrò unicè eum amat & colit, ita ut ubi thesaurus ejus est, ibi quoque sit cor ejus. Matth. vi, 21. Idololatria vero propter has ipsas, quas attulimus rationes, peccatorum omnium gravissimum est, & à Deo quam maxime alienat. Atque ideo peccatum per Antonomasiam appellatur, ut cum in lib. Reg. de Jeroboamo passim dicitur, quod peccare fecerit Israëlem, instituens videlicet cultum vitulorum, qui erat idololatria. Sic quoque amor pecuniæ omnium malorum radix esse dicitur 1. Tim. vi, 10. Vt autem idololatria vitetur jubet *divitibus denunciare, ne spem ponant in divitiis incertis, sed in vivo Deo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruendum* ib. vers. 17. * **NEMO VOS SEDVCAT INANIBVS SERMONIBVS**, quibus videlicet corrupti homines ejusmodi crimina extenuare & excusare solent & persuadere conantur, non esse flagitium scortari, nec
Deum

v. 6.

Deum in eiusmodi lapsus tam severè animadvertere. PRO-
 PTER HÆC ENIM quæ diximus crimina, VENIT IRA
 DEI IN FILIOS CONTVMACIÆ, hoc est, in homines,
 qui cum illa foeda & illicita esse, ex Dei lege docentur, non
 tamen obtemperant, unde justè vindictam in eos exercet
 Deus, sæpe quidem in hac vita ærumnis, semper autem in al-
 tera vita infernalibus gehennæ tormentis. * NE IGITUR
 ESTOTE CONSORTES ILLORVM sive flagitiorum sive
 flagitiosorum hominum. * ERATIS ENIM OLIM TE-
 NEBRÆ, hoc est, luce divinæ veritatis destituti *habentes te-
 nebris obscuratam mentem & alienati à vita DEI propter ignoran-
 tiam, ut est sup. cap. v. 18. NVNC AVTEM LVX IN DO-
 MINO, hoc est, nunc estis per Dominum ac verbum & Spi-
 ritum ejus illuminati, adeò quidem ut & ipsi in vobis sitis lu-
 cidi & alijs prælucere queatis, sive & ipsi quæ pia justa & san-
 cta noveritis & alios docere ac indecoram eorum vitam ar-
 guere possitis. Magna vero emphasis in eo est, quod per Me-
 tonymiam pro tenebrosis tenebras, pro lucidis sive illustratis
 lucem dicit, quemadmodum apud Latinos scelus pro scele-
 sto dicitur. Igitur VT FILII LVCIS AMBVLATE, hoc
 est, ut decet eos, qui lucis participes facti sunt & cognitione
 Dei ac divinæ voluntatis instructi. Ad eundem ferè mo-
 dum Rom. XII. 12. *Nox processit, dies autem propinquat, abjicia-
 mus igitur opera tenebrarum & induamur habitu, qui luci conve-
 niat.* Excipit parenthesis; * NAM FRVCTVS SPIRITVS
 (Syrus & vulgatus interpp. convenienter ad præcedentia le-
 gerunt: *ὁ ὄψ καρπὸς τοῦ Πνεύματος*) IN OMNI BONITATE ET
 VERITATE quasi dicat: jubeo vos, ut filios lucis incedere,
 fructus autem Spiritus, qui vobis lucem impertit, adeoque
 lucis, quæ in vobis beneficio Spiritus lucet, sunt benignitas,
 justitia & veritas, ad quas super. cap. v. 15. sum cohortatus
 & dehortatus ab oppositis, iracundia & malignitate, fraudi-*

v. 7.

v. 8.

v. 9.

- bus & furto, mendacio & hypocrisi. *Ambulate igitur, ut filij lucis.* * EXPLORANTES & ductu lucis istius ac revelatae vobis in verbo veritatis, inquirentes, QUID PLACEAT DOMINO. * ET NE COMMERCIVM aliquod HABETE CVM OPERIBVS ILLIS INERVGIFERIS, SED POTIVS ETIAM REDARGVITE, improbate & detestamini, cum verbo tum sanctae vitae exemplo. * NAM QVAE AB ISTIS OCCVLTE FIVNT, suadente libidine & nocte, NE HONESTE QVIDEM COMMEMORARI POSSVNT, * SED OMNIA ILLA DVM ARGVVNTVR A LVCE, hoc est, dum facinora, quae tenebrae infidelitatis & impietatis occultabant, a filiis lucis lumine sanctae doctrinae illicita & foeda esse demonstrantur, MANIFESTA FIVNT, ipsis scilicet peccatoribus, ut intelligant peccata, id quod prius obstante infidelitatis nocte non intelligebant. QVOD ENIM OMNIA MANIFESTAT LVX EST, nempe sicut tenebrae infidelitatis & ignorantiae peccata celant, ne ab ipsis peccatoribus agnosci possint, ita lux veritatis, quae a filiis lucis, hoc est, Christianis affertur, omnia illa regit, & peccatoribus tanquam scelera & flagitia ob oculos ponit. * QVAPROPTER de virtute & efficacia lucis hujus, & convertendis per eam peccatoribus, DICIT Spiritus Sanctus per me nunc verba faciens vel per Esaiam prophetam cap. xxvi, 19. LX, 1. &c. Verba enim, quae ibi habentur, huc faciunt: EXCITARE, QVI DORMIS somnum scilicet peccatorum, ET RESVRGE A MORTVIS: lethalis enim is somnus est, & qui eo obdormit, in peccatis mortuus est, ET ILLVCESCET TIBI CHRISTVS, omniumque suorum beneficiorum & salutis te participem faciet. * VIDETE IGITVR QVOMODO ACCVRATE AMBVLETIS &c.
- * REDIMENTES OPORIVNITATEM. Metaphora a mercatoribus sumpta est, qui occasionem lucrificiendi sine fructu

fructu præterire non patiuntur, sed potius magno studio & posthabitis vitæ commodis ac delicijs eam quasi mercantur. Ita quoque monet Apostolus, ne nobis aliud agentibus elabi sinamus occasionem piè vivendi & rectè agendi, quæ in tantum vita, dum lux verbi divino beneficio incontaminata allucet, obtingere potest, sed redimendam magis jacturâ rerum quarumvis aliarum & illecebrarum seculi, quibus aliàs frui fortè potuissemus. Pretium itaque, quo istam vacandi pietati occasionem mercabimur, est neglectus & jactura rerum terrenarum, ut extricemus nos curis & voluptatibus mundi: **QVONIAM DIES MALI SVNT**, hoc est, difficultatum & periculorum pleni, quasi dicat: accurata habenda est ratio temporis, quoniam plurima sunt cum persecutionum impedimenta, tum aliarum rerum & illecebrarum avocamenta, quibus ne nos à pietatis studio abducamur & occasio nobis eripiatur, cavendum erit. In eundem sensum Gal. vi, 10. *Dum oportunitatem habemus, benefici simus erga omnes.* Et Servator Joh. xii, 35. *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebra deprehendant.* * **PROPTEREA NE SITIS DESIPIENTES,** * **ET NE INEBRIEMINI VINO, IN QVO** sive in qua inebriatione scilicet **EST** *αιωρία*, hoc est, ex ebrietate provenit, ut homo non tantum luxuriose, sed etiam turpiter se gerat & ad impudentiam & spurcitiem delabatur: **SED IMPLEAMINI** sancto **SPIRITV**, hoc est, date operam, non ut animus vester vino obruatur, sed ut impleatur cogitationibus sanctis & à Spiritu Sancto profectis. Rationem quâ ejusmodi cogitationes excitari & foveri queant, subjungit: * **LOQUENTES INTER VOS,** inquit, **MVTVO,** sive quando in dominicam ad orandum *αγαπην* celebrandam convenitis, sive quando domi vestræ mensæ accumbitis, * **PSALMIS ET HYMNIS ET CANTIONIBVS SPIRITVALIBVS PSALLENTE** **ET GRATIAS AGENTE** **DEO**

v. 17.

v. 18.

v. 19.

v. 20.

- DEO IN NOMINE CHRISTI:** ita enim Dei & Christi beneficia in memoriam vobis revocabitis, & animo verlabimini, Spiritu Sancto ejusmodi cogitationum auspice & moderatore. * **SVBIICIENTES VOS ALIIS** ita redit ad cohortationem principalem de officijs charitatis exercendis: ex charitate enim fit, ut alter alteri inserviat: addit autem **CVM TIMORE DEI:** neque enim quævis mutua officia probantur, sed quæ sunt cum respectu ad Deum, & referuntur ad Dei gloriam, tanquam ad ultimum finem. In genere quidem cuiusvis convenit, ut proximo serviat & serviendo se subjiciat; quia tamen distinctiones sunt personarum & munerum, inde quoque fit, ut distincti sint inserviendi & subjiciendi modi. Neque enim ejusdem rationis subjectio convenit parentibus & liberis, dominis & servis. Hinc igitur transit ad declaranda cujusque inspecie officia. Sunt autem in œconomia sex diversæ personæ, quarum singulis sua officia præscribit.
- V. 22.** * **VXORES PROPRIIS VIRIS SVBIICITE VOS** per reverentiam & obedientiam, **VT DOMINO,** Christo scilicet, cujus locum viri tenent & dignitatem repræsentant. * **QVONIAM VIR EST CAPVT VXORIS, VT CHRISTVS ECCLESIAE, ET IS EST QUI DAT SALVTEM CORPORI,** nempe ut caput corpori sensum & motum suppeditat: ita Christus Ecclesiae Spiritum suum, per quem ipsa animatur & vivit. Vir quoque uxori suæ simile quiddam præstat, dum eam alit & tuetur. Hinc manifestum in conjugali, quæ similitudinem habet cum unione Christi & Ecclesiae, virum referre personam Christi; uxorem vero personam Ecclesiae.
- V. 23.** * **ITAQVE SICVT ECCLESIA SE SVBIICIT CHRISTO, ITA ET VXORES SE SVIS VIRIS SVBIICVNTIO IN OMNIBVS** scil. quæ à viris injuncta cum reverentiâ Christo debita non pugnant; secus enim si fiat, *oportet*
- V. 24.** *DEO obedire potius quam hominibus Act. v. 29.* * **VIRI** similiter,
- V. 25.**

ter, qui in hac conjunctione Christi personam sustinetis, **DI-
LIGITE VXORES VESTRAS SICVT ET CHRISTVS
ECCLESIAM**, quam sanè maximo profecutus est amore,
ET SEMETIPSVM EXPOSUIT, uti sub initium capitis
dixit, oblationem ac victimam **PRO EA**, * **VT EAM** v.26.
SANCTIFICARET, remissis videlicet peccatis, pro quibus
morte suâ satis fecit, **MUNDANS LAVACRO AQVÆ**
instrumento, scilicet, quod in hunc finem destinavit, **PER**
VERBVM, sive formulam sacrorum verborum, quam lo-
tioni, quæ per aquam fit, adhiberi mandavit. Sanctificat
itaque Ecclesiam marito suo, quia semetipsum pro ea expo-
suit: sanctificat itidem eam baptismo, sed sicut instrumento,
quo meritum & satisfactio applicentur. * **VT SISTERET** v.27.
EAM SIBI GLORIOSAM ECCLESIAM, QVÆ NON
HABEAT MACVLAM AVT RVGAM. Alludit ad de-
corem, qui in uxoribus spectari solet, aut quicquam eiusmodi,
SED VT SIT SANCTA ET INCVLATA, inchoatè vi-
delicet in hac vita, & completè ac absolutè in altera. Quin
si Ecclesia cum reliqua hominum multitudine comparetur,
eius sanè respectu est sine rugâ & maculâ, sanctaque & incul-
pata, etiam si dum in terris agit non possit omnino peccatum
non habere 1. Joh. 1, 8. Alteri igitur seculo genuina & perfecta
eius sanctitas ac puritas reservatur. In eam sententiam hunc
locum à Pelagianis objici solitum exponit Augustinus lib. 1.
de nuptijs & concupiscentia c. 34. *Non solum, inquit, omnia
prorsus hominum mala, Christiani lavacri sanctitate tolluntur, quo
mundat Ecclesiam suam Christus, ut exhibeat eam sibi, non isto se-
culo, sed in futuro, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid
eiusmodi. Nam qui modo eam talem esse dicunt, & tamen in illa
sunt, quoniam & ipsi fatentur se habere peccata, si verum dicunt,
profecto quoniam mundi non sunt à peccatis, habet in eis Ecclesia
maculam. Si autem falsum dicunt, quia corde duplici loquuntur,
habet*

habet in eis Ecclesia rugam. Si autem se dicunt habere ista, non ipsam, ergo se non esse membra ejus, nec se ad corpus ejus pertinere fateantur, ut etiam sua confessione damnentur. Hæc Augustin.

v. 28.

Subjungit Apostolus aliam rationem, quâ viri ad diligendas uxores excitentur, nempe quia diligendo uxores suas diligant semetipsos & sua ipsorum corpora. * NVLLVS ENIM VNOVAM SVAM IPSIVS CARNEM ODIO HA-

v. 29.

BVIT, IMO ENVTRIT AC FOVET EAM (hinc sua erga uxores officia discant mariti) SICVT ET DOMINVS ECCLESIAM, redit ad institutam prius comparationem, ostenditque quod vir uxori sit & quod virum uxori præstare oporteat, id Christum Ecclesiæ esse & præstare Ecclesiæ.

v. 30.

* QVONIAM MEMBRA SVMVS CORPORIS EJVS EX CARNE EJVS ET EX OSSIBVS EJVS, ut Christiani videlicet, non secundum primam ex Adamo generationem, aut ipsam humanam naturam, quam cum impijs etiam communem habent, sed secundum regenerationem, quam in illo, ut altero Adamo, obtinemus. Rectè enim Oecumenius: *ex ipso sumus, quatenus primitia nostri ipse est secunda plasmatiõis, quemadmodum ex Adamo sumus propter primam.* Hæc autem

v. 31.

verba ex sermone Adami, quem *Je'ru's' & Spiritu Prophético* habuit, cum primum institueretur matrimonium, petuntur, & Spirituali Christi Ecclesiæque conjunctioni accommodantur, atque adeo allegoricè exponuntur, quoniam autem eodem tenore, reliqua ex isto sermone subjunguntur, in eundem quoque sensum & secundum allegoriam accipienda erunt. * PROPTEREA DERELINQVET HOMO PATREM SVVM AC MATREM, ET AGGLVTINABITVR VXORI SVÆ, ET ERVNT DVO IN VNAM CARNEM, sive quasi una caro & unum corpus per individuum & indissolubilem conjunctionem, cui quamvis aliam, eam etiã quæ liberis cum parentibus suis intercedit, posthabe-

beri

beri oportet. Hæc itaque societas & conjunctio est omnium maxima & arctissima. * MYSTERIVM HOC MAGNVM v. 32. EST, VERVM EGO LOQVOR DE CHRISTO ET DE ECCLESIA: nempe Christum arctè adeo cum ecclesia sua conjungi mysterium est, quod absque revelatione mens humana assequi nunquam potuisset, & ne nunc quidem unquam satis contemplari & admirari potest. Aliàs enim virum uxori adherere familiare & quotidianum est, neque ulla revelatione indiget; si vero mysterium, sive ut vulgata hîc habet, Sacramentum accipiatur pro quovis typo ac symbolo rei sacræ, sive pro omni eo, quod externum sensibusque objectum aptum est figurare rem spiritualem & sensibus non objectam, tum in ea quidem significatione, matrimonium Sacramentum fuerit, quod tamen his verbis non docet Apostolus: si strictiore significatione Sacramentum accipiatur pro signo quod non tantum significet, sed simul conferat id quod significat, sicut Baptismus & Eucharistia, tum matrimonium non poterit esse aut dici Sacramentum. Neque enim ineuntibus matrimonium vi & virtute matrimonij confertur, ut Spirituali cum Christo unione jungantur, neque ulla est in sacris, quæ hoc innuat, promissio. Verba igitur *propterea derelinques homo &c.* accipi possunt vel sensu literali, & tum de viro & uxore, eorumque, quod secundum naturam est, conjugio, corporumque cohabitatione & animorum conjunctione agunt & continent mysterium, prout mysterium est signum sive simplex figura rei cœlestis & supernaturalis: vel allegorico, & tum declarant Spiritualem Christi & Ecclesiæ unionem, quæ est mysterium, prout mysterium est ipsa res sacra. Et sanè ab Apostolo, ut ostendimus, in sensu mystico & allegorico adducuntur. Hinc August. l. 2. de Genesi contra Manich. c. 24. *Dicit Apostolus Sacramentum magnum est quod dictum est, propter hoc relinques homo patrem & matrem, & adharebit uxori suæ, &*
I
erunt

erunt duo in carne una. Quod ipse interpretatur subiiciendo: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia, Ergo quod per historiam impletum est in Adam, per Prophetiam significat Christum, qui reliquit patrem cum dicit: Ego à patre exivi & veni in hunc mundum, item, reliquit matrem, id est synagogam veterem atque carnalem observantiam, quæ illi mater erat ex semine David secundum carnem & adhesit uxori suæ, id est Ecclesia, ut sint duo in carne una. Dicit enim Apostolus ipsum esse caput Ecclesia, & Ecclesiam corpus ejus. Ergo & ipse soporatus est dormitione passionis ut ei conjunx ecclesia formaretur. Formata est conjunx Ecclesia de latere ejus, id est, de fide passionis & baptismi. Nam percussum latus ejus lancea, sanguinem & aquam profudit. Hieron. item in hunc locum. Non ut plerique existimant, omnis historia quæ de Adam & de Eva in Gen. scripta est, ad Christum & Ecclesiam facile referrî potest, sed tantummodo, quod in presenti loco ponitur, propter hoc relinquet homo &c. Primus enim homo & primus vates Adam hoc de Christo & Ecclesia prophetavit, quod reliquerit Dominus noster atque Salvator patrem suum Deum & matrem suam cælestem Hierusalem & venerit ad terras propter corpus suum Ecclesiam & de suo eam latere fabricatus sit, & propter illam verbum caro factum sit. Chrysof. etiam in hunc locum: De Christo inquit Paulus, loquor, quoniam & se relicto patre, descendit & ad sponsam venit & sanctus est in Spiritum unum. Qui adheret Domino, unus est Spiritus I. Cor. VI, 17. Atque huiusmodi interpretatio est simplicissima. Neque enim in typis singula applicare necesse est, ut nihil opus sit nos explicare, quis sit pater, quæ mater, quam reliquerit Christus, nam hisce generaliter significatur amore nostri deseruisse Christum, quæ maxima & sibi carissima erant, & quæ nisi nostrâ causâ deseruisset, & de quibus ab ipso deserendis nulla unquam hominis oboriri potuisset suspicio. Ita autem sensu allegorico hæc adducit Apostolus, ut interim de literalî quoque commonefaciat. Verantamen,
ait

ait Chryſoſtomus; *allegoria iſta dilectionem conjugalem non ever-
sit.* Itaque conjugibus ſua officia ad exemplum Chriſti & Ec-
cleſiæ mutuo præſtanda inculcat, & concludit, ut *maritus*
VXOREM DILIGAT, VXOR AVTEM VIRVM RE-
VEREATUR.

SEXTVM CAPVT.

LIBEROS jubet AVSCVLTARE PARENTIBVS IN
DOMINO, hoc eſt, ex amore & reverentia Domini,
qui mandavit parentibus obediri, & quidem, ita, ut manda-
to promiſſionem addiderit longævæ vitæ. Æquum enim
eſt, ut qui parentibus ob acceptam ab eis vitam debitum ho-
norem deferunt, vitæ etiam iſtius diuturnam obtineant con-
ſervationem: contra indignum eſt, ut diu fruantur vitâ, qui
in eos, à quibus vitam acceperunt, ingrati ſunt, & rebelles.
Si vero fiat, ut qui honoraverit parentes, nihilominus bre-
vis aliquando ſit vitæ, obſervandum eſt Deum promittentem
bona præſentia & terrena, ſi ea non det, dare pro eis longè
majora & meliora, bona videlicet cæleſtia & æterna, vid.
Matth. xix, 29. Neque vero iſtâ promiſſione Deus abſolutè
ſe obligat ad dandam longævam vitam, ſed ſpem ejus facit,
quaſi dicat, ſi honoras parentes, eſt quod ſperes vitam diutur-
nam & felicem. EST autem HOC PRIMVM PRÆCE-
PTVM CVM PROMIſſIONE, propriâ videlicet, huic
præcepto, & de re ſpeciali, puta longævitate. Habet aliàs
præceptum, quod in ordine præcedit de non colendis Diis a-
lienſis additam promiſſionem, ſed generalem cum oppoſitâ i-
tidem generali comminatione, quæ cum comminatio, tum
promiſſio omnia præcepta concernunt, prædicat enim Domi-
nus fore, ut viſitet iniquitatem odio perſequentium ſe, mi-
ſericordiam autem præſtet diligentibus ſe & obſervantibus
præcepta ſua Ex. xx, 5.6. Deut. v, 9 & 10. Parentibus mandat,
ne

v. 1.

v. 2.

v. 4.

v. 5.

ne morositate & immoderata austeritate sævisque imperiis ad iram provocent liberos suos, atque adeò animos eorum exasperent, quod fieri solet, si quando liberi officium sedulo & diligenter, & quantum ab ipsis per ætatem præstari potest, faciunt: moroso tamen patrum iudicio semper habentur, ac si improbe se gesserint, & semper quantocunque studio mandata peregerint, objugantur nihilominus & vapulant. Hinc fit, ut, quia vident se nullâ ratione satisfacere aut placere posse, alacritatem obsequendi abjiciant, & animo à parentibus alieno, extinctisque piis affectibus partim stupidi, partim obstinati & pervicaces reddantur Col. III, 21. ita dixit: *Patres*

v. 6. *ne irritate liberos vestros, ne despondeant animum.* * SERVI AVSCULTATE DOMINIS SECUNDVM CARNEM, hoc est, qui vestri, quoad corpus & res externas, potestatem habent CVM TIMORE ET TREMORE, hoc est, cum debita reverentia. Nam quod ille in Mostellaria: *Servi, qui cum culpa carent, tamen malum metuent, hi solent heris esse utibiles; huiusmodi, inquam, metus ne in mancipiis quidem Christianis esse debet: Obedient enim non formidine pœnæ, sed ut sequitur, IN SIMPLICITATE CORDIS, hoc est, ingenuè, candidè, sincerè, SICVT CHRISTIO, quem norunt, ejusmodi obsequium præcipere & probare, quin etiam auctoritatem & dominium ejus in Dominis suis quodammodo repræsentari.*

v. 7. * NON AD OCVLVM SERVIENTES, præsentibus scilicet tantum Dominis, VT QVI HOMINIBVS PLACERE STVDENT, aucupantes favorem herilem, SED VT SERVI CHRISTI, quasi dicat, in omnibus eluceat vos nomen Christo dedisse & ob ejus amorem ac reverentiam officium facere & Dominis obedire, quibus licet imponere possitis, noliti tamen, quod sciatis Christum æternum vestrum Dominum qui omnia coram intueatur & falli nequeat, hypocritica & simulata obsequia averfari & simplicitate ac integritate

tate delectari. **FACIENTES EX ANIMO, QUÆ VULT**
DEVS, Dei videlicet nutu & permisso in servitute coniecti
 estis, & idem, qui voluit vos servos esse vult etiam vos oble-
 qui. * **CVM BENEVOLENTIA**, hoc est, non morosè, v. 8.
 non gravatim, non coactè, **SERVIENTES DOMINO ET**
NON HOMINIBVS, hoc est, non tam ipsorum hominum
 gratiam, quam quod scitis Deo placere, ut homines pro Do-
 minis habeatis, tanquam Dominos honoretis & in homini-
 bus Dei dignitatem revereamini. Servietis itaque commoti
 voluntate & reverentia Dei & quasi Deo ipsi. * **SCIENTES** v. 9.
SINGVLOS, QVICQVID FECERINT BONI, HOC
REPORTATVROS. *Oportet enim coram tribunali Christi omnes*
manifestos fieri, ut reportet unusquisque quæ in corpore fecerit, con-
gruenter ad id, quod fecerit, sive bonum sive malum, 1. Cor. v. 10.
 atque ita cum unoquoque agetur, **SIVE SERVUS FVE-**
RIT, SIVE LIBER. Coram tribunali enim Christi diffe-
 rentia illa non attendetur, sed placebit & probabitur servus,
 qui piè fecerit officium servi, non minus quam Dominus aut
 Princeps, qui fecerit officium Domini & Principis. Ita Apo-
 stolus asperitatem servitutis mitigat, dum eam rectè factis ni-
 hil omnino derogare ostendit: simul etiam servos ut condi-
 tionem suam æquo animo ferant & officium faciant, excitat.
 Dominos eadem ratione docet, ne efferantur, aut potestate
 suâ in servos abutântur. * **VOS DOMINI**, inquit, **EADEM** v. 10.
FACITE ERGA ILLOS, scil. vos etiam servis vestris huma-
 nitatem & benevolentiam exhibete remissis minis, **SCIEN-**
TES VESTRVM ETIAM IPSORVM DOMINVM ESSE
IN COELIS. Non igitur absolutam in servos potestatem
 obtinetis, sed à superiore Domino coelitus commissam. Is cum
 vester, tum illorum communis Deus & Dominus rationem
 administrationis & usurpatæ potestatis à vobis exiget, **NE C**
EST PERSONÆ ACCEPTIO APVD EVM. Quando
 igitur

- igitur iudicium exercebit, & rationem officij à vobis exiget, non attendet, quòd generis claritate & operibus præ servis vestris emineatis. Cum igitur Deus inspector & iudex omnium humanarum actionum in præmijs largiendis & pœnis irrogandis externarum dignitatum & servitutis ac dominij nullam rationem habeat, æquo animo servi servitutem tolerabunt, & Domini propter dominum suum non efferentur. A specialibus transit ad generalem admonitionem, qua epistolam concludit, cohortatus ut **CORROBORENTVR IN DOMINO ET ROBORE VIRIVM IPSIVS**, scilicet ipse per suam gratiam in fide atque spe nobis largitur, & **INDV-**
- V. 12.** **ANT** τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ, quam scilicet Deus subministrat, ut eâ adversus Diaboli impetus & versutias à capite usque ad
- V. 13.** talos armemur. * **NON ENIM NOBIS** esse **LVCTAM ADVERSVS CARNEM ET SANGVINEM**, hoc est, imbelles & impotentes hostes (sic caro ponitur pro re fragili Esa. xxxi, 3. Jerem. xvii, 5.) **SED** maximè validos & formidabiles, **ADVERSVS IMPERIA ET POTESTATES**, hoc est, imperantes & potentes **ADVERSVS PRINCIPES MVNDI ET SPIRITVALES NEQVITIAS**, hoc est, sceleratos Spiritus, qui nequam quidem sunt & scelerati, Spiritus tamen & propterea magnæ potentia, & sunt illi **IN SVB-**
- V. 14.** **LIMI**, ut capitibus nostris immineant. Nam potestatem æris tribuit eis etiam suprâ capite ii. v. 2. ita terribiles nobis hostes proponit, ne in securitatem prolabamur. Idem autem mox arma in promptu esse ostendit, ne animum despondeamus. * **PROPTEREA**, inquit, **ASSVMITE VNIVERSAM ARMATVRAM DEI, VT POSSITIS RESISTERE IN DIE MALO**, sive tempore periculoso, cum impetum faciet hostis, & præparati in omnibus, quæ ad pugnam ineundam necessaria, stare animo forti, & ad-
- versa-

versarium intrepidè excipere. Arma autem alia nos muniunt & obtegunt, ne pateamus telis hostilibus, alia verò ad hostem ferendum & fugandum sunt comparata, inter quæ omnia eminent gladius: Pro baltheo igitur sit VERITAS sive solida cognitio veritatis coelstis, quæ contineat animos vestros, ne vanis aut falsis opinionibus diffluant. Pro thorace, JUSTITIA universalis videlicet, sinceritas & integritas & studium rectè agendi, quod totam nostram vitam & omnes nostras actiones ambiat & muniat, ut à thorace integitur corpus. Pro ocreis sive calceis sit. * PRÆPARATIO EVANGELII PACIS, hoc est, alacritas & promptitudo non tantùm retinendi, sed etiam propagandi Evangelium, quod mortalibus pacis nuncium adfert, & DEI benevolentiam promittit. * SUPRA OMNIA ASSUMTO SCUTO FIDELI. Scutum inter arma, quibus corpuste gitur & tela repelluntur præcipuum est. Hujus vicem præstat *fides*, hoc est, firma fiducia in DEUM, DEIQUE promissiones & meritum Christi, QVA EXTINGVANTVR OMNIA IGNITA IACVLA, perturbationes & tentationes IMPROBI ILLIVS, Diaboli scilicet qui κατ' ἐξοχήν πομπός est atque dicitur, libenter enim nos in desperationem vellet præcipitare, nisi per fidem fiat, ut DEI gratiæ & divinis promissis constanter fidamus. * GALEAM ETIAM SALVTIS RECIPITE, hoc est, spes aternæ vitæ & gloriæ cælestis caput sursum adspiciens muniat. Sic explicat semetipsum 1. Theff. v, 8. *induti thorace fidei & charitatis & pro galea spe salutis.* Sequitur quod hostem impetentem feriat & repellat, GLADIVS videlicet SPIRITVS, QVI EST VERBVM DEI. Hoc gladio Servator & ἀρχηγὸς τῶν ἡμῶν noster dæmonem, à quo tentabatur & ad crimen gulæ, arrogantia, ambitionis & idololatriæ incitabatur, in fugam agit Matth. IV. LUC.

v. 15.

v. 16.


v. 17.

v. 18.




iv. Luc. xv. Sive itaque animum nostrum pravīs dogmatibus inficere, sive voluntatem à summo bono ad bona caduca fragilia & sæpe numero noxia, qualia sunt opes & voluptates, conetur avertere, utamur hoc gladio & hostem à nobis animo forti repellamus. Hæc est panoplia militis Christiani armati à capite ad calcem usque. Caput regitur spe salutis, pectus & venter thorace justitiæ, lumbi cinguntur baltheo veritatis, pedes muniuntur ocreis alacritatis ad ineundam viam Evangelij, sinistra tenet scutum fidei, dextera gladium verbi, quo prosternatur & juguletur hostis.

F I N I S.







85688

ULB Halle


3

005 130 220



VD 17







5

GEORGII CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN ACADEMIA
JVLIA PRIMARII PROF.
ABBATIS REGIO-LOTHAR.

IN EPISTOLAM
SANCTI APOSTOLI PAVLI AD
EPHESIOS
EXPOSITIO LITTERALIS.
QVOMODO ILLA ANTE ANNOS XXX
QVVM PVBLICE PROPONERETVR
EXCIPI POTVIT.
NVNC PRIMVM EDITA.

HELMESTADII,
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO
Excudit HENNINGVS MULLERVS,
ANNO MDCLV.

